

920
Foll. 20.374
20.374

PROPOSITIONES

EX UNIVERSA

PHILOSOPHIA,

QUAS

PUBLICO CERTAMINI OFFERT VINDICANDAS

D. JOSEPH PEREZ, ET VERDU,

IN COLLEGIO - SEMINARIO ORCELLENSIS

Academiae Philosophiae Auditor, & Togatus
Alumnus.


PRÆSES ADERIT

D. DOMINICUS FRANCO ET TEROL,

PRESBYT. PHILOSOPH. MAG. SACR. THEOLOG. DOCT.

in eodem Colleg. - Semin. Philosoph. & Sac.

Litt. Professor.



IN ORCELLEN. SS.VV. JUSTÆ ET RUFFINÆ TEMPLO,

Die 24 mensis *Maji* Anni M.DCC.LXXVI.

MURCIÆ : IN TYPOGRAPHIA FRANCISCI BENEDITO.

*24
Hora 8 mat. et 1 ves.*

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 15 1964

FROM

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 15 1964

FROM

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.



VERDA^{ra} IMAC^{ta} DE LA REYNA EN LOS
Angeles, q^{ue} con el titulo del Dulcissimo Nombre d^e Maria:
se venera en la Porteria de la SS^{ma} Trinidad d^e Orihuela.
El Ill^{mo} Sr. D. Pedro Alborno^z y Tapias, Obis^p. de Ori-
huela &c. cōcede 40. dias d^e Indulg. a quien rezare
una Salve.

Alagarda del. & sculp. Oriole, anno 1766.

ANGELORUM
REGINÆ

TERRÆ, COELORUMQUE


DOMINATRICI,

VERBI INCARNATI

GENITRICI,

B. MARIÆ VIRGINI.

JOSEPH PEREZ, ET VERDU.



*Nihil magis in votis habui ex quo Theses
has publico certamini sistere constitui,
quàm ut Patronum invenirem, sub cu-
jus umbra tutæ, ac immunes per Aristar-
chorum omnium oculos vagarentur. Quod
ut assequerer, cum in omne latus me
verterem, nullum prorsus invenire pote-
ram, qui voti compotem efficeret. Nec
mirum, nam si ad hominum juvamen
confugerem, exiguum sanè quærerem patrocini-
um, illorum quippe, quorum & vis, & studium favendi arctissimis terræ limitibus cir-
cumscribuntur; & si ad thronum Numinis convertebam oculos
quantùm illius potentia spem firmabat, tantùm læsa toties deterrebat
Majestas. Verùm his circumdato angustiis Tutandem occurristi Piis-
sima*

sima Mater, quæ & marorem excuteres, & pavido cordi exundantem latitiam afferres. In Te quippe una ea reperiuntur omnia, quæ Meccenatibus formandis queant desiderari, protegendi nempe studium, atque facultas. Amplissima in Te ditio, qua creatarum omnium rerum longè latèque dominaris, cuique vel Cœli Dynastæ placidissimè subduntur. Te Angelorum chori circumsepire gestiunt, Tuæ vocis dominatum Furia Erebi contremiscunt. Polles nedum potentissimis favendi viribus, sed & has comitatur etiam ineffabilis ad subveniendum proclivitas; nam tibi supernus rerum Artifex cor tribuit, vel minimo gemitu mollescens, linguam ad flectendam iram Numinis aptissimam, ramosasque manus, ut cum Mantuano loquar.

*Ramosasque manus, hac quas Pater imbuit arte,
Ut solos fierent habiles pietatis ad usus.*

! O quoties vindicem omnipotentis manum jam jamque fulmina in homines vibraturam inermem reliquisti! ? Ecquis enim criminum vinculis irretitus inveniri poterit, qui ad Te confugiens tuum non senserit patrocinium? Quinimo preces prævenis, ut vel non rogata subvenias. ? Quæ inedia, qui morbi, quos potentissimè non fugaveris? Sed demens ego, si tuæ largitatis hominibus exhibita beneficia enumeranda susciperem, nihil enim aliud hoc esset, quàm radiorum Solis numerum rimari velle, Oceanique arenulas, guttulasque supputare. Tot igitur tantisque pietatis tuæ muneribus in spem erectus ad Tuæ celsitudinis thronum genibus provolutus accedo munusculum hocce Tibi fidenter oblaturus. Nec est quòd muneris parvitas me ab oblatione retrahat, cum mihi sim probè conscius Te non opibus, sed cordibus alliciendam. Accipe igitur, Mater clementissima theses has, ut & his præsidium adveniat, & meam erga Te gratitudinem possim publico isto monumento testari.

PHI



PHILOSOPHIÆ

PROLOGOMENA.

I.



I turpe semper, ac indecorum visum est, ut quemquam disciplinæ, quam vel à limine salutarit, ortus, partes, incrementa, quique in ea florere viri penitus fugerent, ac late- rent, operæ pretium me fa- cturum existimavi, si uni- versæ Philosophiæ placita pu-

blicæ concertationi oblaturus, prius ex quibus illa initiis ad tantum incrementum adoleverit, quas vicissitudines pro temporum varietate tulerit, quæ regna peragraverit, à quibus tandem gentibus exculpta fuerit, exhiberem. Rem igitur agamus. Philosophia itaque, si nominis origo ins- piciatur, *Amor Sapientiae est.* Hujus nominis Auctorem Pythagoram extitisse traditur, qui cum Deum solum sa- pientem religiosissimè agnosceret, se *Philosophum*, seu *Sapientiae amatorem* appellabat. Ex Veterum tamen, Re- centiorumque omnium consensu Philosophia pro Sapien- tia ipsa usurpatur, nihilque aliud exprimit, quam *cogni- tionem evidentem, certissimamque rerum per altiores cau- sas naturali lumine partam*, quam primo homini Adæ

Nomen & natura phi- losophiæ.

Philoso- phiæ ori- go.

A

fuisse

fuisse à Deo inditam à Divo Thoma docemur, ut primi hominis mens sic rerum cognitione illustrata ad placidissimam Dei cognitionem posset assurgere, atque in voluntatem morum honestatem instillare. Vix tamen definiri potest quibus rivulis post Adæ lapsum, offussamque humanæ menti caliginem, Philosophia ad nos usque defluerit, quibusque incrementis illius studium adoleverit. Nam quid columnæ illæ continerent, quibus ex Josepho habemus à posteris Adami scientiarum principia fuisse consignata, obscurum valde, atque incertum est. Crederem tamen Philosophiæ Studium à patribus in filios, ab hisque in nepotes traditionum more usque ad diluvii tempora fluxisse.

Philosophiæ propagatio.

II. Ast quocunque ex fonte ad nostra tempora Philosophia advenerit, illud pro comperto habemus, adeo nempe in universas gentes propagatam, diffusamque fuisse, ut nulla fere natio tam fera, stultaque fuerit, in qua viri rerum naturalium cognitione insignes, morumque probitate celebres non extiterint. Sic apud Persas, Magos; apud Hebræos, Rabbinos; apud Indos, Gymnosophistas; apud Gallos, Druidas; apud Sinas, Confusium eminuisse, Laertius, Strabo, Plinius, & varia profanæ historiæ monumenta testantur. Atque ego; ut qualem qualem laborem hac in re impenderim, ostendam, libentissimè petenti referam, quæ Cl. Goudinus de Philosophorum Sectis, Patronis, ortu, atque incrementis puro, nitidoque stilo conscripsit. Verùm cum ex tot sectis, quæ ex Philosophia pullularunt, unam debeamus eligere, ne errabundi in rerum investigatione curramus incerti, quò facta ferant, ubi sistere detur, ea mihi præ ceteris amplectenda visa est, quæ à suo Auctore Aristotele *Aristotelica*, seu à modo quo disputabat *Peripatetica* nuncupatur.

Philosophiæ historia.

Electio systematis.

III. Fateor quidem Peripateticam Philosophiam re-
cen-

centioribus Philosophis nedum valde exosam esse, verum etiam ineptiis, & Metaphysicis subtilitatibus adeò redundare visam, ut veluti chimæram despiciant, suoque muneri defuturos existiment nisi eam profligandam ceu totidem Bellerophontes aggrediantur; quin & in ipsum Aristotelem pro temporum varietate varii insurrexere hostes, quos inter Emilius Parisanus tam acriter in Stagiritam debacchatus est, totque injuriis, opprobriis, conviciis ipsum oneravit, ut furiam potius te audire, quam hominem loquentem crederes. At hæc ut æstuantis animi, modestiæque metas prætergressi deliramenta cachinnis excipimus; & quamquam Aristotelis osoribus gratis concedamus illum non semel cespitasse, lapsumque fuisse, at posteaquam à Divo Thoma illustratus, purgatus, & quasi formatus est, nescio, quo jure tam acres censuræ in ipsum ferri possint. Cum enim vir sanctissimus animadverteret, nedum Hæreticos, verum & Mahumetanos, quos inter Averrois Commentatoris solertia Aristotelis Philosophia in Cordubensi Schola vigeat, cavillis & sophismatibus armatos præcipuis nostræ Religionis Dogmatis bellum inferre, ceu callidissimus, & prudentissimus Dux, qui suis copiis consultius fore existimat, si amicos ex hostibus efficiat, quam si eos penitus deleat, rem excogitavit tanto ingenio dignam, Aristotelem nempe ad partes Christianæ Religionis trahere ut quæ prius arma in veritatem errori serviebant, sub vexillis veritatis adversus errorem decertarent. At cum vix trium sæculorum decursu ipsos Aristotelis sectatores intestina dissidia, ac veluti civilia bella dividerint, necessarium duxi Ductorem eligere, qui locum Palinuri teneat, seu cujus doctrinam in turbulento variarum opinionum mari pro nautico sidere prospiciam, cujusque principia veluti unum idemque filum constanter teneam ut à difficultatum labyrintho facilius possim

*Electio
Magistri.*

4
expediri. Sed quem? Divum Thomam; eum nempe in quo uno invenio Magistrum, exemplar & Patronum; eum quem Doctores, Academię, Concilia, Ecclesia, Christus, summis encomiis extulerunt; quem ingenio supra hominem sublimi natura donavit; qui demum ut Ecclesię illustrandę aptior redderetur, nactus est Preceptores Petrum, Paulum, Christum. Thomam igitur veneror, audio, sequor, mihi que si ab ejus doctrina vel latum unguem recedam piaculi loco erit. Hęc de Philosophia in universum præfari libuit. Reliquum est ut vulgarem illam & à majoribus acceptam Philosophię partitionem in Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ethicam retinentes, prioris Theses aggrediamur.

LOGICA.

*Notio Lo-
gica.*

IV. **A**D ceteras Philosophię partes, ac disciplinas omnes rite, ac feliciter comparandas ita Logica aditum præbet, mentemque ipsam, seu rationem, cui perficiendę, ut ipsa vox sonat, est instituta, in investigatione veritatis dirigit, ut veritas illius lumine destituta in Cimmeriis videatur tenebris latitare. In vero à falso discernendo, sciendique instrumentis ministrandis tota versatur, quod certè priscos illos, quos cognitionis amor incendit, vehementer impulit ut Logicam egregiis summisque laudibus exornarent: illam quippe Cicero, Augustinus, Aristoteles *Artis omnium artium maximę, Disciplinę disciplinarum, modi scientię* nomenclaturis dignam existimarunt. Hanc, ut ad Scholę methodum proprius accederet, Philosophi multifariam dissecarunt in Naturalem nimirum, & Acquisitam, Topicam, Analyticam, Dialecticam, Apodicticam, Docentem, & Utentem, quarum

rum singulæ propria sibi vindicant munia , quæ paratus sum recensere. Ipsam inter mentis virtutes , liberales artes , scientias easque speculatrices , & inter instrumenta ad scientias comparandas utilissima debere adnumerari existimamus. Præcipuus illius scopus est , res cognitæ ordinatè disponere , eaque harmonia , & artificio donare , ut jure propositio , definitio , divisio , atque argumentatio appellari valeant; quamquam & mentis perceptiones , vocesque ipsas ad propriam Logicæ materiam aliqualiter pertinere , non diffitebor.

V. Jam rationis actus , qui regulis Logicæ subjacent , Apprehensio scilicet , Judicium , Ratiocinatio exponendi veniunt. Apprehensio itaque est pura objecti perceptio , neque ajens , neque negans. Circa idearum naturam nonnulli in eam sententiam abeunt , ut ideas omnes cum perceptionibus confundant , sive cum nervorum , & cerebri motionibus ; verùm hi collatis manibus propulsandi sunt , cum planum apperiant iter ad animorum spiritualitatem de medio tollendam. Vera igitur ideæ notio facilè haberi potest , si eam tanquam imaginem , speciem , simulacrum , idolum rerum cognitarum contemplemur , id quod Malebranchius ipse homo aliàs non bene de peripatu meritis , ipsique infensissimus fateri non renuit. Idea alia communis , alia singularis esse potest , hæc individua singularia ; illa verò id quod individuis commune est menti exhibet , & quasi in illa depingit ; quæ si naturam ab omni singularitate præcissam repræsentet , universalis dicitur , verùm impropriè seu in repræsentando , & en universum , quod unicum fertur posuisse Nominales ; at nos naturas propriè , seu in essendo universales stabilire necesse judicamus. Naturæ re ipsa á singularibus separatæ , æternæ , & incorruptibiles , quæ nomine idearum Platonis circumferuntur , sibilis excipiendæ sunt ; imo naturas universales

mente

Notes Logica.

Materia Logica.

*Apprehensio.
Idearum natura.*

Universalis.

mente quidem nostra, non tamen re ipsa existere posse judicamus, quidquid contra reponant alii, qui nec mihi probari possunt, cum inter gradus supremos & infimos discrimen ab ipsa natura elaboratum statuunt. Nobis siquidem non aliud observatur inter illos discrimen, quàm quod mens ipsa ab objecto excitata ibidem effingit.

*Universa-
lis partitio*

*Prædica-
bilia.
Genus.*

*Differen-
tia.*

Species.

*Individu-
um.*

Proprium.

Accidens.

VI. Universum in Metaphysicum, & Logicum partitur, quorum notionem & causam pandam. Universum dum actu de inferiori prædicatur, logicam superioritatem retinet. Quinque universalium species, quas prædicabilia vocant, qua possim brevitate prosequare. Genus itaque est notio maximè communis, quæ aliàs notiones contractiores, à se propagatas, complectitur, ac de illis enuntiatur. A Porphyrio dicitur notio universalis, *quæ de pluribus prædicatur specie differentibus*, cet. Differentia est universum quod de pluribus in *quale quid* prædicatur: triplex esse potest, communis, propria, & propriissima; hæc, de qua nunc agimus, est quæ essentiam veluti forma constituit. Varia munera præstat differentia, rationem nempe communem dividere, & contrahere, speciem determinatam constituere, eamque à cæteris omnibus discernere. Ex differentia & genere coalescit species, estque universalis natura, quæ de numero differentibus ut tota eorum essentia affirmatur. Natura illa, quæ multiplicatis expers est, & divisibilitati in alia plura, qualis ipsa est, minimè est obnoxia, *Individuum* nuncupatur.

VII. Quatuor modis Proprium valet accipi, qualiter determinatam sedem inter prædicabilia tenet, est quod rei extra essentiam advenit, necessariò tamen. Tandem si communis aliqua notio ita pluribus adesse possit, ipsaque deserere, ut incolumis prorsus, atque illæsa illorum natura perseveret, habes accidens quintum prædica-

dicabile; quod quandoque accidens prædicamentale, & peripateticum est, quandoque verò substantia. Si mens ex pluribus ideis eas eligat, quæ, quid sit res de qua agitur ostendunt, definire dicitur. Definitio igitur dum nominis energiam & originem rimatur, definitio nominis appellatur, seu Ethymon; dum verò rei naturam pandit est definitio rei, vel essentialis, si nempe rem per essentiam exprimat; vel descriptiva, si nimirum per causas, proprias affectiones, sive communes accuratam rei notionem exhibeat. Quibusdam legibus obstringimur, quas in definiendo transgredi nefas est. Divisio memoriæ adjutrix, & claritatis origo est quæ naturam communem in suas partes, sive propagines dissecat.

Definitio.

Divisio.

VIII. Menti non minus claritatis abstractio affert, quàm divisio; illa quippe confusionem pellit, efficitque, ut mens nullo eorum implicetur, quæ rem de qua agit afficiunt; ut expeditiùs faciliùsque id quod in re quærit invenire valeat. Quando geminæ ideæ accuratè perceptæ ad invicem conferuntur, eæque vel junguntur, vel separantur, dicitur mentem judicium efformare, quod etiam enunciatio, seu propositio appellatur, quæ si sola mente interiùs retineatur mentalis, si exprimatur verbis vocalis, si tandem characteribus exarata sit, scripta jure nuncupari potest; singulæ autem integram referunt sententiam, qua affirmatur aliquid, aut negatur. Propositio multiplex esse potest; categorica nempe, hypotetica, necessaria, impossibilis, contingens, identica, formalis, affirmativa, negativa, universalis, particularis, indefinita, singularis, conditionalis, rationalis, causalis, copulativa, & disjunctiva, quarum omnium notionem apperiam.

*Abstractio-
nis notio.*

*Judicium.
Propositio.*

IX. Plures sunt in hypoteticis loci arguendi & quidam utilissimi. Pro conditionalibus est triplex: Primus est à conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis est optima illatio; non tamen valet à

po

positione consequentis ad positionem antecedentis. Secundus est à conditionali cum negatione consequentis ad negationem antecedentis ; non tamen à negatione antecedentis ad negationem consequentis. Tertius est à conditionali ad disjunctivam compositam ex consequenti, & contradictorio antecedentis. Pro rationalibus duplex est locus. Primus est : A rationali ad copulativam & conditionalem rectè fuit illatio. Secundus est à rationali ad quamlibet ejus partem , at non è contrario. Pro causalibus duplex est etiam locus. Primus à tota causali ad quamlibet ejus partem. Secundus à tota causali ad copulativam & conditionalem. Pro copulativis duplex est etiam , à copulativa nempe ad quamlibet ejus partem determinatam , at non è contrario ; & à copulativa ad disjunctivam , licèt non è converso. In disjunctivis tandem , non quælibet pars determinata ex tota disjunctiva fuit ; benè tamen una pars ex tota disjunctiva cum destructione alterius deducitur.

Discursus

Argumentatio.

Consequentiae regule.

X. Ratiocinium tunc efformatur cùm binæ ideæ ita cum tertia conferuntur , ut dignoscatur , jungendæ ne istæ sint , an separandæ. Ratiocinatio mente nostra formata variis argumentationum generibus exprimitur. Est igitur argumentatio , in qua ita judicia annectimus , ut unum ex alio deducamus. Varias argumentationum species Veteres ad nos transmiserunt , sunt verò Inductio, Exemplum , Dilema , Sorites , Enthymema , & Syllogismus , de quo post pauca aliqua afferam , idem de reliquis facturus , si petieris. Harum argumentationum veritas ex veritate enuntiationum non est repetenda , sed ex illarum dependentia & nexu , quo absente , abest consequentia , & imbellis proinde erit argumentatio. Sed ne in deducendis judiciis fallamur , quinque sequentes canones assignantur , quibus rectæ illationes ab incorrectis discernuntur. I. Ex vero non sequitur nisi verum ; ex falso

falso verum & falsum. II. Ex necessario nihil nisi necessarium; ex contingenti, contingens vel necessarium; ex impossibili sequitur quodlibet. III. Ex opposito consequentis fluit oppositum antecedentis, sed non è contrario. IV. Ex quocumque sequitur antecedens, sequitur & consequens, & quidquid ex consequenti sequitur, pariter ex antecedenti. V. Ab inferiori ad superius affirmativè illatio currit, non verò negativè; à superiori ad inferius negativè valet, sed non affirmativè.

XI. Syllogismus ex tribus coalescit propositionibus, quæ sic arctissimo vinculo nectuntur, ut negato in majori toto, pars in minori assumpta in conclusione negetur; aut posito toto in majori & minori, ejus assumpta pars affirmetur in conclusione. Cùm alterutra ex præmissis, eò quòd clarior, ac veluti vera supponitur, reticetur, Syllogismus mancus, mutilusque profertur, quamvis mente conceptus integer perfectusque sit: hoc argumentationis genere, quod Enthymema dicitur, crebrò utimur, vel ut pulchriùs, nitidiùsque loquamur, vel ut compendiosiùs. Interdum alterutri, vel etiam utrique præmissæ probatio adjungitur, & hic ratiocinandi modus dicitur Epicherema frequentissimum apud Oratores, eos præcipuè, apud quos moras non patitur prurigo cujuslibet veritatis ostendendæ. His addi potest Prosyllogismus, qui tunc fit, cùm syllogismo jam formato, alius ita subnectitur, ut major hujus illius conclusio sit. Tota vis syllogistica quatuor nititur principiis, de quibus dicere modò supersedeo, de iisdem petenti verba in arena factururus.

Syllogismus.

XII. Ad veritatem evidentiùs, clariùsque ob oculos ponendam demonstratio majori vi pollet inter omnia argumentationum genera, quare non abs re erit illius naturam expendere. Demonstratio itaque, quæ si ordo ad suum effectum ritè perpendatur, est Syllogismus faciens scire, ex parte materiæ proximæ ab Aristotele describitur:

Demonstratio ejusque species

B

Syl-

Syllogismus procedens ex primis veris, cet. In Demonstrationem *quia*, & *propter quid*, ac Demonstrationem à priori & à posteriori dividitur; cui placuerit omnes patefaciam. Sed nec prætereunda est alia Demonstrationis partitio in *ostensivam*, & *ducentem ad impossibile*. Illa rem ex præmissis simpliciter ostendit; hæc ex præmissis alioquin non concessis minatur absurdum, aut inconueniens. Quia veritas, quæ vi Demonstrationis percipitur, potest etiam per opinionem, per fidem, per dubium, per suspicionem tandem in mentem nostram devenire, ideo doctrinæ affinitas exigere videtur, ut omnium notionem expendamus. *Opinio*, inquit D. Thomas, significat actum intellectus qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius; est itaque iudicium probabile ex sufficienti motivo, & verosimili fundamento, non tamen evidenti conceptum relinquens locum falsitatis formidini, ideoque dicitur formidolosum. *Fides*, quæ generatim usurpata est iudicium de objecto habitum ex testimonio & auctoritate dicentis, dum nititur Dei testimonio, seu divinæ revelationi, dicitur fides divina, dum verò hominum testimonio fulcitur, fides humana nuncupatur. Si intellectus ita ab utriusque partis motivis alliciatur, ut ad neutram inclinetur, erit simplex dubitatio. *Suspicio* tandem nihil aliud exprimit, quàm actum, quo mens in unam potius, quàm in aliam partem propendit, levibus innixa fundamentis.

Opinio.

Fides.

Dubitatio.

Suspicio.

Methodus.

XIII. Nonnulla de methodo nunc dicenda sunt, cuius notio in eo sita est, quòd ordinatè ad veri cognitionem dirigat; unde non aliter ipsius naturam agnosceremus, quàm si eam contemplerur ut viam brevem, aut ordinatam rationem inveniendi veri, ipsiusve cum inventam fuerit, exponendi; ea quippe de causa methodus instituta est, ut mens nostra varias ideas, iudicia plurima, argumentationes ita disponat; ut quibusdam veluti
gra-

gradibus ad veritatem conscendat, aut ad ipsam alios, facem quasi præferens, deducat. Dividi solet methodus in Analyticam, seu resolutivam, & Syntheticam, sive compositivam. Illa à rebus ad rerum principia ascendit; hæc descendit à principiis ad res ipsas explicandas; imò eadem veritas modo Analysisi, modo Synthetici exploratur. Cl. Goudinus aliquot pro utraque methodo leges affert adeo pulchrè, ornatèque, ut puritatem, nitoremque latini sermonis, quem toties jactitant Recentiores, superasse, nedum æquasse videatur. Illas non ægrè feram in medium rogatus adducere.

XIV. Deveniendum jam nobis est ad idearum signa, seu voces quibus exprimuntur. Nihil aptius ad hominum societatem & commercium reperire licet; illis enim omnium conceptionum, quas mente habemus, alios participes effecimus. Circa vocum significationem sunt qui existiment eam à natura illis fuisse inditam; in quam sententiam ferunt abiisse Stoicos, Platonemque in Cratillo. Verùm etsi homini naturale sit conceptus suos vocibus exprimere; attamen quòd determinata vox hanc potius, quàm aliam rem significet, ex hominum arbitrio pendet; aliter non ea fluxisset idiomatum diversitas, ex quibus nedum Nationes, verùm & Provinciæ singulæ facillè dignoscuntur.

XV. Sicut vocibus, ita & Scripturis conceptiones nostras aliis patefacimus; verùm istæ id commodi præ illis habent, quòd ad absentes, futurosque se extendunt; sunt quippe veluti quædam voces fixæ, characteribusque consignatæ, sine quibus remotissimarum gentium mores, ritusque non nisi ægrè sciremus, nec tam facillè Majorum nostrorum gesta in hominum memoria perennassent. Sed quamvis apud Nationes fere universas scriptura in usu fuerit, magna tamen in scribendi modo extitit diversitas; quædam enim litteris utuntur, sonos significanti-

B2

bus,

Vocum significatione.

12
bus, ex quibus syllabæ; & ex istis vocabula componuntur. Aliæ characteribus symbolicis utuntur, quorum singuli singulas res representant, quam scribendi rationem haustam à Veteribus ex parte retinent Astronomi, qui Zodiaci signa, & constellationes totidem animalium imaginibus representant.

ONTOLOGIA.

*Ontologiæ
Scopus.*

XVI. **C**UM ens reale à materia abstractum sit præcipuus Metaphysicæ scopus, illudque bifariam à materia abstracti valeat, duplex quoque Metaphysicæ membrum distinguendum est, *Pneumatologia* videlicet, & *Ontologia*. Illa rerum spiritualium substantias, & attributa, quatenus naturæ lumine dignosci possunt, patefacit. Hæc ens reale materiale, ejusque passiones per mentem abstractas expendit. Utraque licet à prudentiæ, & artis notionibus longissimè absit, scientia tamen est, eaque propriè speculatrix.

XVII. Cùm naturæ sic abstrahuntur, ut expertes prorsus sint cujuscumque diversitatis, qua inferiora ab invicem discriminantur, appellantur univocæ; quòd si intellectus, dum naturam abstrahit, frustra omnes nervos exerat, ut eam inferiorum varietate exuat, adeo ut inferiora in natura convenient, inque eadem differant, tunc analogia hæc erit. Si res toto cælo differentes, una eademque voce exprimantur, equivocatio habetur. Denominativorum tandem notio in eo unicè stat, quòd ab aliis nomen emendicent, à quibus in nominis terminatione differunt; quamquam non rarò accidat ut eadem voce denominativa & formam denominantem appellemus.

Pas-

XVIII. Passiones enti affixæ sunt veritas, bonitas, & unitas, quarum quælibet quid, quotuplexque sit libentissimè apperiam. Quinque sunt status in quibus ens valet inspicere; quidditatis nempe, possibilitatis, futuritionis, existentie, & præteritionis. Possibilitas alia extrinseca, alia intrinseca est: illa est vis, qua causa pollet ad suos effectus producendos; hæc in conjungibilitate prædicatorum rem constituentium sita est, quæ erit physica si res quorum prædicata possunt amico fœdere copulari indeterminate concipiuntur ut postea sint vel non sint; logica verò, si res concipiuntur ut existentes, vel ut extiturae. Solent hæc acres moveri rixæ circa connexionem mutuam possibilium omnium & impossibilium cum omnipotenti Dei virtute; verùm hæc simillima illis sunt, de quibus ait Cl. Melchior Canus, quòd si ab amico interrogatus esset, aut dissimulanter præteriret, aut apertè etiam responsa negaret.

XIX. Futura ea sunt, quæ cùm de præsentibus non sint, sunt tamen extitura postea; futurum aliud absolutum, aliud conditionatum esse potest. Illud absolute erit nulla conditione adhibita; existentia hujus à conditione quadam dependet; & cùm connexio eventus futuri cùm conditione possit esse metaphysica, physica, moralis, & probabilis, totuplicem certitudinem futurum conditionatum valet haurire. Sed ut ad futuri notionem propriùs accedamus; priùs eorum opinionem rejicimus, qui futurum statuunt in carentia existentie nunc, ejusque existentia postea; eorumque similiter, qui nescio quod esse volitum, diminutumque totam futuri notionem esse existimant; nos etenim Augustini & Thomæ placitis adherentes, absolutam rei futuritionem collocamus in divino decreto, quo Deus ab æterno decrevit rem fore tempore determinato. Futuritionem rei ejus existentia sequitur, imò in hanc unam videtur illa collimare;
est

Entis passionibus, statusque.

est enim complementum, quo veluti ultima manus rebus imponitur, & quo incipiunt perfici, cum è causarum sinu egressæ in publicam prodeunt lucem. Illa si creata est, ab essentia re ipsa differt. Duratio quamdam existentia continuationem importat, seu persistentiam rei in existendo. Triplex est, æterna, æviterna, & temporalis, quarum definitiones in Palæstra dabimus.

Prædicamenta.

XX. Licet Prædicamentum quandoque usurpetur pro serie contexta ex prædicatis essentialibus à supremo genere usque ad individuum; communi nihilominus Philosophorum consensu Prædicamenta dicuntur suprema illa entium capita, quæ per varia genera, & species, ceu per totidem rivulos ad individua usque descendunt. Prædicamenta omnia denario numero completitur Aristoteles, cui enumerationi non adeo firmiter adhæremus, ut pro ea tamquam pro aris & focis nobis dimicandum sit; satius erit, si Prædicamentorum numero aliis investigando relicto, singula perstringamus.

Substantia.

Primam inter illa, ac nobiliorem sedem sibi jure suo vindicat substantia, cum sit basis cæterorum prædicamentorum, sine qua ista colapsa ruerent. Tam variæ circa substantiæ notionem investigandam, vel inter ipsa Peripatus confinia prodire opiniones, ut capitum numerum sententiæ æquasse videantur; verum ex his non pauci vel substantiam cum accidentibus confundunt, vel non tam substantiam definiunt, quàm varia attributa ex ipsa pullulantia; hi nimirum qui genuinum substantiæ characterem revocant ad fulcimentum accidentium, ad inhæSIONIS privationem, ad entitatem à supposito non adæquatè distinctam, ad ens quo durante res durat, & quo deficiente ista deficiat, ad rationem primi entis, ad entitatem demùm primò à natura intentam.

XXI. Substantiam igitur aptius rectiusque definiendam esse contendimus per entitatem cui debetur per se
existe-

existere. Ea substantia, quæ ad prædicamenti ordinem refertur, Christum Dominum suo ambitu complectitur. Quædam nova perfectio admitti debet, quæ soli substantiæ conveniat, ipsamque ab accidentibus distinguat; hæc nova perfectio dicitur subsistentia, forma nimirum vel actus, quo substantia quælibet existens ita completur, ut evadat sui juris, adeo ut extraneo supposito nequeat communicari, & independenter ab alio conservetur, operetur, subsistat. Quamquam subsistentia substantialis naturæ proprissima videatur, ab hac tamen ita differt, ut valeat eam deserere, modò divinitus subsistentiæ munera expleantur. Conflatum ex substantiali natura & subsistentia suppositum dicitur, quod si natura intelligente sit præditum, vocatur Persona, quæ à Boetio; & ex isto ab aliis Philosophis definitur: *Rationalis natura individua substantia.*

Suppositum.

XXII. Accidentium nomine ea entia intelligimus quæ ita aliorum fulcimento indigent, ut absque isto penitus interire necesse sit, ideoque illorum essentia in prædicatis substantiæ oppositis collocanda est, in entitate nempe, quæ subjecto inhæreat, aut inhærere nata sit; atque hinc facile Philosophis innotescit discrimen, quo substantia & accidens ab invicem secernuntur. Accidentia alia modalia sunt, alia entitativa: illa à subjecto se jungi nullo pacto possunt ita ut separata existant; ista verò sunt entitates physicæ, quæ à subjecto cui adhærent, queunt divinitus separari, & existere separata, ideoque accidentia absoluta appellantur.

Accidens.

XXIII. Substantia varias affectiones à quantitate suscipit; ista enim orbata suas partes haberet penitus confusas, uni eidemque parti loci respondententes, compenetratas, & mensuræ subjici prorsus ineptas; à quantitate verò oppositas habet affectiones, quarum prior quantitatis essentiam complectitur, ceteræ sunt veluti ramusculi

Quantitas.

ex

*Qualitas.**Qualitatis
incrementum.**Cætera
Prædicamenta.*

ex ista dimanantes. Quantitas à substantiâ materiali, quam ornat, & sigillat, toto cœlo differt. Multifariam quantitas dissecatur, in continuam & discretam; continua in permanentem & successivam; illa ulteriùs in lineam, superficiem, & corpus; hæc in motum, & tempus, de quibus rogatus verba faciam. Qualitatem definit Aristoteles, *qua quales esse dicimur*; sed quia hæc definitio nauseam provocat delicatissimis Recentioribus, aliam clariorem ex D. Thoma afferemus. Augmento qualitates obnoxias esse, atque intensiùs in subjecto crescere, oppido notum est, quin ad ejusmodi incrementi hypothesim explicandam, opus sit ad qualitatularum de novo advenientium struem confugere, nec ad contrarii destructionem, nec ad præexistentis interitum, & novæ perfectiorisque subrogationem. De relatione, sicut & de cæterorum prædicamentorum, & post prædicamentorum notionibus, ea quæ utiliora sunt, proferemus.

PNEUMATOLOGIA.

Anima rationalis.

XXIV. **H**ÆC substantias spirituales rimatur, intelligentem animam, Angelos, Deum, pulcherrima entia, nobilissimæque, quantum naturæ lumine dignosci possunt, diligenter perscrutans. Creatorum spirituum natura, & affectiones priùs investigandæ sunt, ut exinde ad omnium entium fontem Deum veneraturi potius, quàm perscrutaturi ascendamus. Humana anima principium illud est, cujus præsidio homo intelligit, & vult; at non ita, ut cogitatio sit ipsa animæ substantia, ut Cartesio visum est; sed quia in aptitudine ad cognitionem eliciendam constituitur. Jure igitur Augustinus animam rationalem vocat substantiam rationis participem regendo corpori.

ac-

accomodatam. Intellectio adeo cum materia, corporeis-
que affectionibus pugnat, ut mirum sit, homines sanæ
mentis insano materialistarum dogmati subscripsisse.
Anima igitur simplex, spiritualisque censi debet; nam
qui oppositum conati sunt ex Augustino evincere, ii
oleum & operam perdidere, atque inter ceteros Augu-
stini obtrectatores reponi debent, qui frustra tantò Soli
tenebras tentarunt offundere.

XXV. Dum animæ immortalitatem investigamus,
non id in controversiam vertimus, an scilicet sit in
æternum duratura; impii, si negamus; otiosi, si querimus;
fide namque tenemus, virtutibus præmia, flagitiis verò
rependenda fore supplicia numquam intermoritura. So-
lùm igitur in hoc difficultatis cardo versatur, sitne vi-
delicet immortalitas à Deo singulari beneficio ipsi con-
cessa; an verò illi nature jure debeatur; nosque animam
ita immortalem existimamus, ut non nisi à suo Conditor
destrui valeat, sicque consultius fore judicamus Christia-
næ Religionis dogmatis, Ecclesiæ testimoniis, Scripturæ
verbis, Sanctorumque Patrum dictis.

XXVI. Animæ ex materia corporea non fiunt, sed
cum creatæ fuerint, corporibus quæ regunt, vivificant,
informantque, uniuntur. Igitur unio animæ cum corpo-
re non debet statui in mutuo illo commercio, quod inter
tàm dissitas substantias singuli experimur, sed illud peni-
tus antevertit. Circa animæ sedem statuendam variè di-
gladantur Recentiores Philosophi; illam quippe præsen-
tem toti corpori non valentes concipere, variis, deter-
minatisque corporis partibus hunc honorem tribuere, ca-
piti nempe, cerebello, superciliarum interstitio, glandu-
læ pyneali, arterioso cordis ventriculo, & sanguinis con-
cretioni; verùm hi incidunt in Charybdim, quam vitare
tentant. Toti igitur corpori anima præsens est. Tribus
facultatibus ornatur, quibus supra omnium rerum mate-
ria

*Animæ
immorta-
litas.*

*Animæ
sedes.*

C

ria

Intellectus

rialium conditionem mirificè attollitur , intellectu nempe , memoria , voluntate. Intellectus est eà animæ potentia , seu vis , qua ad ens quodlibet cognoscendum extenditur , quamquam naturali vero unicè proportionetur. Supra se adeo reflectit intellectus , ut nedum alia , sed se ipsum etiam , suasque operationes perscrutetur. Dum corpore conclusus , ac veluti obsessus manet , per sensuum fenestellas ferè omnia simulacra recipit , in quibus externa objecta contemplatur.

XXVII. Verùm non tam facile explicatu est , quo medio , quibusve viis objecta externa per ostia sensuum ad intellectum usque sui notitiam transmittant. Nos hoc pacto fieri judicamus : Phantasia nempe , postquam à sensibus excitata fuerit , corporeum simulacrum sibi depingit , sequuturæ ejusdem indolis cognitioni inserviens. Postea intellectus agens phantasmate excitatus quamdam imaginem efformat , qua foecundata mens objecti cognitionem elicit. Memoria est ea animæ facultas , quæ cognitarum jam rerum species , seu simulacra retinet , quæ dum iteratò excitat , novam inducit earundem rerum cognitionem , quæ recordatio dicitur. Memoria tamen non est ab intellectu realiter distincta , quamvis ex munere differre quadammodo videatur , quatenus eadem facultas , quæ , dum cognoscit , dicitur intellectus , dicitur memoria , cùm recordatur. Quod autem in quibusdam hominibus memoriæ tarditatem cum mentis perspicacia conjunctam experiamur , ex corporis temperamento , sensibiles species , à quibus intelligibilium excitatio pendet , offuscante , vel destruyente , repeti posse arbitramur.

*Memoria
intellecti-
va.**Voluntas.*

XXVIII. Ultima facultas animæ voluntas est , quæ facem rationis sequens , id unicè appetere potest , quod bonum apparet , quæque à malo æterno odio fugit. Quandoquidem anima , relicto corpore , non est in profundam nihili voraginem demergenda , sed in æternum duraturu.

*Anima
separata.*

ratura ; illius status à corpore separatae investigandus occurrit. Qua in re in tam apperta deliramenta Veteres prolapsi sunt , ut hebetiores, insanoresque nostri temporis homines longè illis cordatiores esse videantur. Nam antiqua ætas homines vidit , quibus persuasissimum esset, animam rationalem , corpore derelicto , nedum in alia humana corpora , verum etiam in belluina transmigrare. Sed hæc somnia , sicut & alia , quæ insanæ mentes peperere , Æsopi fabellis amandanda sunt ; nam humana anima à corpore egressa , intellectum , voluntatemque retinens , acquisitis habitibus ornata , & ideis cognitionum in hac vita elicitarum onusta , ab omni corpore separata remanebit , donec corpori , cui in hac vita sociata fuerit, reuniatur.

XXIX. Angeli substantiæ illæ sunt , quæ cum spiri-
 tuales absolutæ , & completæ sint , nulli corporum ut
 forma destinantur. Omni prorsus materia divisibili ca-
 rent ; incorruptibiles atque immortales sunt , adeoque nec
 gigni , nec corrumpi illi possunt ; sed à solo Deo ex ni-
 hilo creari , vel in nihilum redigi. Non ab æterno , sed
 temporum initio ex formatrice Dei manu in lucem pro-
 diere. Angelorum existentiam nedum fides evincit , ve-
 rum & naturalis ratio suadet , adeo , ut vel Ethnicis ipsis
 Geniorum nomine innotuisse aliqui existimarint ; sunt
 etiam qui Virunculos , sive Lemures nequam , vel bonis
 Angelis debere annumerari arbitrantur ; à quo abstine-
 mus modo. Verum id cum Cl. Feijoo affirmare audeo,
 plerosque nempe crepitus , quibus Lemures domos di-
 cuntur infestasse , non otiosorum spirituum ludos fuisse,
 sed vel hominum ad terrendum excogitados , vel æstuan-
 tis libidinis , avaritiæ , aut extremæ inopiæ stratagemata.
 Quamquam Angeli incorporei sint , in corporibus nihi-
 lominus ex adensato aere coalitis , assumptisque possunt
 se hominibus conspiciendos præbere.

Angelus.

*Angelo-
rum pote-
stas.*

XXX. Vi pollent transferendī corpora in partes magna locorum intercapedine dissitas; nec idcirco tanta ipsis potestas tribuenda est, ut corporum etiam humanorum structura mutata novas eisdem formas valeant nativis viribus infundere. Hinc valent Doemones. I. Commovere, & variè combinare species phantasticas, ceu Typographus typos, sicque plurima docere. II. Excitare humores, sanguinem, bilem; movere phantasmata, earumque rerum species objicere, quibus vehementer excitantur passiones, & homo ad malum vehementissimè allicitur; idem ex pacto cum Doemone præstant philtro castimonix funestissima, quibus vix non ad insaniam sæpe adiguntur homines. III. Efficere ut statuę moveantur, vel etiam apparenter loquantur, sicut statuæ æræ, quas refert Philostratus Pincernarum officio functas fuisse coram Jarcha Brachmannorum Principe, & Rege Medorum. IV. Inducere morbos insanabiles per venena occultè ingesta; absurdissima quęque in stomachum, & alias corporis partes immittere, ut cultros, clavos, pilorum glomos, quos quosdam Energumenos traditur evomuisse. V. Humana corpora invulnerabilia reddere, vel avertendo ictum, vel corpora dura interponendo. VI. Cogere nubes: ciere tempestates, terremotus excitare, immittere turbines, fulguribus, tonitruis, fulminibusque terrere.

*Deus O.
M.*

XXXI. Jam ad rerum omnium Conditorem Deum se nostra convertit disputatio. Turpiter erravit Marcus Varro, qui Deum mundi animam posuisse traditur; turpius, qui Solem, & Lunam ut totidem Deos coluere; turpissimè omnium, & imperitissimè David Dinandus, qui tam nobile, sublimeque ens primam mundi materiam existimavit, ut alios præteream, qui Echo, qui muscas, qui ranas, qui mures, qui puteos Deorum numero adscripserunt; non enim fas est tot monstra recensere ad
hu-

humanæ mentis ignominiam nata. Deus siquidem incorporeus est, omnis materiæ, & compositionis expers, omnipotens, summè bonus, beatus, infinitus, omniscius, æternus, immortalis, immensus; qui immobilis, stabilisque manens dat cuncta moveri. Existentia Dei ratione naturali suaderi valet, adeo, ut nulla gens tam fera sit, ut ait Cicero, quæ non etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat; quamquam ad existentiam Dei evincendam imbelles prorsus ac enerves Cartesii prætensas demonstrationes judicemus.

PHYSIOLOGIA.

XXXII. **S**piritualium rerum naturis expositis ad eam Philosophiæ partem cunctis cæteris jucundiorē pervenimus, quæ naturam speculatur, omnesque mutationes, & vicissitudines, quæ in hoc aspectabili mundi theatro nostris patent oculis, sibi investigandas subjicit. Naturalia corpora, quorum essentiæ, & mutationum investigatio Physiologiæ incumbit, ex substantiis simplicibus, tamquam ex primis, internisque principiis conflantur. Hinc prima corporis naturalis principia ea esse debent, quæ cum ex aliis non sint coalita, entia omnia ita componunt, ut in ea tandem abeant, & evanescant. Verùm si quæ unquam disputatio Philosophorum mentes in varia, oppositaque sensa divisit, ea maximè, in qua de rerum primordiis agitur. Leucippus, Democritus, Epicurus, Gassendus, & Cartesius ad mechanica principia recurrunt, ad corpuscula nempe insensibilia variis figuris prædita, vel vertigine, & in girum acta; Empedocles ex sensibilibus elementis, & Chymici ex sale, sulphure, & mercurio omnia fieri existimarunt; nos autem hos omnes in suis systematibus, vel hypothesebus efformandis dormitasse ar-

bi.

*Corporis
naturalis
principia.*

bitramur; at nullus horum turpiùs erravit Epicuro, qui ut fertur, rerum principia statuit in æternis atomis, infinitis, ac temere volitantibus; & licet Gassendus Epicuri systema illustraverit, depuraveritque ab erroribus Christianæ Religionis adversis, fidei conciliasse libenter dabimus; non item rationi.

Materia.

XXXIII. Si igitur naturale corpus stricta mutatione fiat, materiam, formam, & privationem ut principia exposcit; si verò perfectum sit, omnibusque numeris absolutum, materia, & forma invicem nexis concluditur. Exstat quidem materia prima, quæ substantia est simplex creationi, & anihilationi unicè obnoxia, primum substantialis formæ subjectum, & theatrum, in quo universæ generationes, & corruptiones substantiales exercentur. Proinde atomi, particule elementorum Cartesii, Maignanistarum elementa à ratione materiæ primæ explodere necesse est. Quæ de appetitu materiæ primæ ad formas naturæ viribus impossibiles, Nostrates afferre solent, non renuam, quibus placuerit, apperire.

*Forma
substantialis.*

XXXIV. At cum materia principium torpens & iners sit, alterum statuendum est, unde corporum naturalium activitas, seu efficientia repetatur, forma nempe substantialis, ex qua tota vis agendi suum auspicatur exordium. Et ecce Peripatus dogma, seu lydius lapis, quo veri Aristotelici dignoscuntur, & in quo cespitant Recentiores formas substantiales infimæ Philosophorum plebi cachinnis, & contemptibus amandantes; solis quippe motu, proportionem, seu harmoniam, qua atomi inter se vinciuntur, & colligantur, universa, & valde mirabilia naturæ phœnomena se posse explicare existimant; verum frigidè, & languidè, nam actum futurum fuisse de naturæ machina judicamus, si tam levi pulvere fulciretur. Necesse igitur est, ut formas substantiales à materia entitativè distinctas adstruamus, quæ materiam informant, per-

perficiantque , composita naturalia constituent , ea ab invicem discernant , & omnium operationum sint fons & origo ; omnia hæc quippe munia sibi vindicat substantialis forma.

XXXV. Hinc tamen nefas est eruere varias , mirabilesque operationes , diversasque affectiones , quæ in aliquibus compositis , viventibus præsertim nostris objiciuntur oculis , à multiplici substantiali forma oriri , atque efficere. Sicque corporeitatis forma ex hac parte rimas agit. His minimè subscribendum esse sentio , qui materialis formæ educationem vulgariter & rusticè intelligentes , formas omnes in materia latitare asserebant , atque inde ab agentibus potius in lucem extrahi , quàm de novo produci ; quasi naturæ Auctor in materiæ conditione eidem ferè innumerabilium formarum struem adjunxisset ; nec immane hoc paradoxon hi valent declinare , qui materiam foetam asserebant quibusdam formarum incohesionibus , ac veluti seminibus , ex quibus temporum de lapsu universæ formæ pullularent. Imò nec mihi probari possunt qui ponebant omnes formas penes gradum genericum in materiæ sinu foveri , ac postea penes specificum produci. Ratum igitur , fixumque habemus , nihil entitatis formæ quæ educitur , in materia præextitisse , nihilque remansurum , si corruptione intereat , sed totam denuò produci , totamque penitus evanescere. Quomodo hoc stare possit cum eo , quòd materiales formæ non creentur , in conflictu exponetur , ubi & Recentiorum in nos jaculatas retundemus obtrectationes , ex quibus non tam Philosophi , quàm Grammatici dignoscuntur.

XXXVI. Vis illa intranea compositorum naturalium , unde fluunt operationes illæ , motusque sensibiles , quos in ipsis experimur , naturæ nomine exprimitur. Hinc quod substantiæ advenit in illud inclinanti , naturale est ; quod ab ipsa reluctantè , & renitente extorquemur , violent-

Origo formarum materialium.

Naturæ notio.

Ars.

lentum; quod subjecto indifferenti adjungitur, artisque regulis efficitur, artificiale; præter naturale tandem, quod natura ipsa in rebus efficit, nec juxta, nec contra earum inclinationem. Ars à qua artificiale nomen habet, etsi naturæ æmula sit, ejusque opera quandoque perficiat, imò & efficiat etiam, modò agentia naturalia passivis applicet, nativis tamen viribus id præstare nequit, nec ideo universa naturæ opera artis directioni subjecta censi debent; nam licet Alchymistæ Chrysopæja instructi, verum aurum se confecisse gloriantur; alii tamen hanc artem tam torvis oculis aspiciunt, ut existiment genuini auri confectionem ad Calendas Græcas differri debere. Nos verò confectionem auri humanam industriam physicè superare affirmare non audemus; satius erit si ut moraliter impossibilem illam existimemus.

*Chrysopæja.**Magia.*

XXXVII. Revocari meritò huc potest magia naturalis, quæ est ars vi humana quædam mira, & insolita efficiens, quorum ratio communem hominum captum superat. In divinatricem, & effectricem dividitur. Ad magiam effectricem pertinet *Cryptographia*, quæ est ars occultè scribendi, sive per incognitas litteras, sive per numeros, sive per succum loco atramenti adhibitum. *Pyrotechnica*, quæ in aqua, aere, & terra mirabiles efficit artificiales ignes, pulcherrimum visui spectaculum. *Mechanica*, seu ars varias machinas efficiens, quibus gravia facillè moveri, & sursum attolli possunt. Hæc Europæos exteris Nationibus mirandos effecit. Ad divinatricem, quæ occulta detegit, spectat *Algebra*, quæ ex occulta combinatione numerorum, vel litterarum alphabeti eruit solutiones quæstionum ignoratarum; quisnam ex gr. aliquid subriperit, quam chartam lusoriam aliquis cogitaverit. *Astrologia*, quæ ex astrorum præcipuè Planetarum inter se situ, vel etiam cum fixis conjunctione prædicat pluvias, ventos, tempestatem, calorem, frigus, hu-

humiditatem, aut siccitatem, quandoque etiam aeris noxiam infectionem. *Physiognomia*, quæ ex membrorum humani corporis constitutione, colore, cet. vel ex aliis signis corpori impressis hominum passiones, aut temperamentum conjectatur. Ad hanc revocatur *Chyromantia*, quæ ex manuum lineis præsentit non quidem futura contingentia è libertate humana pendentia, nuptias, divitias, aliaque, in quibus Zingari fallere solent; sed robustam; aut debilem corporis habitudinem, vel etiam bonam, aut malam interiorum viscerum constitutionem.

XXXVIII. Ad externa jam principia, causas nempe, progrediamur. Id causæ nomine intelligi à Philosophis consuevit, quod ad rei productionem verè confert, vel à quo res aliqua esse recipit. Quatuor causarum genera communiter recensentur; materialis nimirum, formalis, efficiens, & finalis, quamquam Platonici exemplarem causam addiderint, quoniam hæc ad aliquam ex dictis haud incommodè reduci potest. Causa effectum suum debet tempore, vel natura præire, eumque, si muneris causæ dignitas perpendatur, perfectione antecellere; at si causæ entitas attendatur, non item; nam licet efficiens effectus sui perfectionem, aut superet, aut æquet saltem, causæ tamen intrinsecè semper sunt imperfectiores effectus; finalis tandem æquæ nobilitatis sæpe est, non rarò nobilior effectui, interdum etiam ignobilior, quod non ex natura rei, sed ex agentis inordinatione oritur. Efficiens causa existentiam postulat ad causandum, adeo ut ea orbitata in se, & in sua virtute minimè effectum producat. Physica verò finis existentia non est conditio adeo necessaria, ut sola sui cognitione nequeat appetitum lenocinari, atque allicere. Materialis tandem, & formalis intrinsecæ debent existentia gaudere eodem, quo causant temporis instanti.

*Causa, ejus
que divi-
sio.*

*Causa at-
tributa.*

XXXIX. Efficiens causa est principium illud, quod
D ex.

*Causa ef-
ficiens.*

extrinsecus dat esse rei, & à quo operatio omnis, & effectus ipse præcipue pendet. Proinde causa quælibet à suo effectu revera differt, sicque nulla valet seipsam producere. Creatura agentia habent certam, determinatamque sphaeram, seu virtutis suæ confinia, ultra quæ, suis viribus inspectis, operari nequeunt; nec vel intra suam sphaeram valent in passum distans agere, intacto medio. Hi nunc Philosophi expugnandi sunt, qui creaturis virtutem, & efficaciam ad operandum penitus ademere, easque asseruerunt solùm esse occasionales causas, quatenus Deus earum occasione ea omnia producit, quæ sua providentia ordinavit; verùm hæc opinatio adeo enervis D. Thomæ visa est, ut modestissimus homo stultæ censura eam confixerit. At non tantam vim creaturis adjudicamus, ut Deum inertem, quietisque manibus otiosi existimemus. Confert quidem creatis causis virtutem vimque omnem ad operandum; nec ad hoc unum cingitur omnipotentissima Dei virtus, quippe quam nequit effectus ullus à creatura productus subterfugere.

Causa instrumentalis.

Causa finalis.

XL. Si causa aliqua ita alteri inserviat, ut ab ea recipiat virtutem ipsi non debitam, nec subordinatam, instrumentalis dicitur: propterea physicum instrumentum necesse est, ut virtute intrinseca à causa principali elevetur, qua hujus effectum valeat producere. Finis id esse dicitur, cujus gratia, & amore aliquid efficimus. Quoniam variè potest aliquis alterius gratia & amore operari, causa finalis valet esse multiplex. Quotuplex? In Palæstra. Sola bonitas sive vera, sive apparens constituit finem, sola quippe illa voluntati lenocinatur, ipsamque allicit. Cognitio verò, qua mens bonum voluntati sistit, etsi conditio sit necessariò exacta, finem tamen non constituit.

XLI. Vana Gentilium superstitio facunda Deorum mater Fortunam ut Numen coluit; à quo res omnes sub-

lu-

lunares ; præcipuè tamen humana negotia versarentur, quodque divitias, egestatem, victorias, coronas indiscriminatim spargeret ; at Christiana Philosophia hujusmodi deliramenta irridens, Fortunam accipit pro causa efficiente per accidens ex electione in his quæ sunt propter finem, & rarò contingunt. In eo à casu differt, quòd quemadmodum Fortuna propriè solùm in causis liberis, sic etiam casus solùm in naturalibus propriè locum habet ; optimè proinde definiendus : *Causa efficiens per accidens ex naturali inclinatione in his quæ sunt propter finem, & rarò contingunt.* Apud D. Thomam nihil aliud est Fatum, quàm ordinatio causarum secundarum ad effectus divinitus intentos : irridendi igitur Pagani, quibus idem erat Fatum, ac ineluctabilis quædam rebus omnibus imposita necessitas, à qua nec Deos ipsos immunes esse putabant, eandemque coelestium corporum influxui tribuebant ; hoc enim Fatum sacrilegum est, & perniciosum cùm divinam lædat excellentiam, nobisque libertatem adimat.

*Fortuna.**Casus.**Fatum.*

DIATHESILOGIA.

XLII. **C**Artesius ejusque Sectatores corporis naturam in trina dimensione positam existimant. Id quod & illi videntur sensisse, qui pro principio rerum posuere substantiam quamdam corpoream in plures partes extensam. Hujus quoque sententiæ Pythagoras, Epicurus, & Stoici, si Laertio fides habenda est, olim Patroni extiterunt. Nos verò triplex corpus distinguimus ; physicum substantiali forma constituitur, mathematicum quantitate ipsa, organicum demum fluiditate, soliditate, duritie, mollitie, cæterisque qualitatibus organicis perficitur.

Corporis natura.

D 2

Quam-

*Accidentia
Peripate-
tica.*

XLIII. Quamquam existentia corporearum qualita-
tum, seu affectionum, quæ corpoream substantiam or-
nant, sensibus ipsis innotescat; in illarum tamen natura
investiganda tam acriter Veteres inter, Recentioresque
Philosophos dimicatum est, ut quæstio hæc fere totum
Orbem rixis impleverit. Qua in re, etsi accidentia abso-
luta pro Scholæ more tuear, adeo ut solis effluviis, par-
tiumque modificatione omnes sensibiles affectiones non
posse explicari existimem; non ideo tamen plerisque
Peripateticis indulgendum esse sentio, qui qualitates ab-
solutas superfluè, & pro libito agglomerantes, ad earum
classem plures corporeas affectiones revocant, quæ facile
possunt effluviis, partiumvè modificatione exponi.

Motus.

XLIV. Inter corporeas affectiones primò sese offert
motus, qui universaliter sumptus non incongruè definiri
poterit: *Actus entis in potentia prout in potentia.* Hic Re-
centiores illa quantiunt, quasi Aristoteles potius verbo-
rum ambage motum occuluerit, quam nitida definitione
explicaverit; sed cum prædicta definitio ritè exposita ac-
curatam motus notionem exhibeat, minimè est deserenda.
Motus variè dissecatur pro varietate terminorum,
quos respicit. Substantialis mutatio, sive generatio in
diversa molecularum combinatione ineptè statuitur; im-
portat siquidem novæ formæ substantialis communicatio-
nem, sicut & substantialis corruptio veteris formæ desi-
tutionem. Alteratio strictè sumpta, est: *Motus substantiæ
completæ, cet.* in simplicem alterationem, intensionem,
& remissionem dividitur, de quibus in circo. Alteratio
non consistit in effluxu quodam substantiali agentis in
passum, nec in sola partium subjecti varia dispositione,
sed fit propagatione, seu productione qualitatis alte-
ratiivæ in passo.

*Generatio
substantia-
lis.*

Alteratio.

*Actio, &
reactio.*

XLV. Cum agens passum aggreditur, agere dicitur,
cum verò passum sua activa influenza agens expugnat,
reage

reagere judicatur ; quod ut eveniat , aliquot exiguntur conditiones , exponendæ in Lyceõ. Resistentia est conatus ad impediendam oppugnantis actionem. Cùm actio quæ longiùs per lineam rectam erat continuanda , in passum incidit obsistens , à quo velut repercussa regreditur , contingit reflexio , quæ nihil est aliud , quàm retrocessio actionis , seu termini versùs agens. Actio tendens ab agente in obsistens , dicitur actio directã ; quæ ab obsistente regreditur , reflexa appellatur. Si actio directã in passum læve perpendiculariter incidit , eadem est incidentiæ , ac reflexionis linea ; at si obliquè inciderit , ambæ lineæ ita diverguntur , ut angulus reflexionis incidentiæ angulo æqualis evadat , si sola causa reflexionis attendatur. Refractio evenit , cùm actio medium inæqualis densitatis , vel raritatis pervadens , à via , qua incesserat , deflectit. Cùm qualitas ab alia contraria obsidione cingitur , contingit Antiperistasis , cujus occasione qualitatem obsessam intendi experientia evincit ; quæ intensio non fit per hoc , quòd habitus qualitate obsessa affecti contrarium refugiant , & sese ad interiora colligant , ut perperam Schotto visum est ; & si veram hujus intensionis causam audire optas , rogabis.

Antiperistasis.

XLVI. Qui motus localis existentiam audet in dubium vertere , Diogenis Cynici deambulatione revincitur. Localis motus est translatio mobilis de uno in alium locum ; nequit proinde in instanti fieri. Multiplex est , pulsio nempe , tractio , vectio , vertigo , rectus , circularis , spiralis , simplex , compositus , naturalis , violentus , quorum assignabo differentias. Licet Deus sit prima causa cujuscumque motus , non ideò causis creatis debemus vim motricem adimere ; corpora siquidem ad motum concitantia sunt vera , & propria causa nedum occasionalis motus aliorum corporum. Corporum projectorum motus non potest à sola impactione repeti ; sed ulterius

Motus localis.

Motus originis.

ab

ab impulsu ipsis corporibus impresso. Corporum verò naturalis motus ab intraneo, ipsisque congenito principio originem ducit.

*Affectio-
nes motus.*

XLVII. Motum localem nonnullę affectiones comitari solent; quantitas nimirum, determinatio, reflexio, refractio, & acceleratio. Quantitas motus est ejusdem motus extensio, qua motus comparatus cum alio aut major esse dicitur, aut minor; ex duplici capite æstimanda est, ex velocitate motus, & corporis mole: unde si duo corpora mole æqualia æqua velocitate moveantur, æqualem motus quantitatem habebunt; si unum ex his corporibus duplo celerius altero moveatur, aut duplo majus sit, duplo majorem quantitatem obtinebit. Velocitas motus ex spatio, quod corpus percurrit, & tempore simul, quo iter conficitur, dignoscenda est; ita ut illa major dicatur, qua breviorè tempore æquale spatium, aut æquali tempore majus spatium agitur. Determinatio est directio motus in unam partem potius quàm in aliam; ex modo, quo impellens motum imprimit, ex obsistente, & quandoque ex medii dispositione repeti debet; quod si mobile diversis determinationibus ad diversa loca dirigatur, sæpissime neutri exactè obediens, mediam viam arripiet.

*Determina-
tio motus.*

*Continua-
tio motus.*

XLVIII. Continuatio motus est protensio illius sine ulla interruptione. Ut ejus causam inveniant Recentiores nonnulli, ad æris elaterium confugiunt, qui dilatatus, ac rarescens continuis ictibus corpus urgeat, impellatque. Alii existimant, anteriorem corporis partem ærem pellere, qui ne locus à corpore retro relictus vacuus remaneat, circulari quodam motu per corporis latera ad partem illius posteriorem accedit, atque ita perenni circuitu illud urget. Alii demum opinantur, spiritus quosdam, seu tenuissimas atomos ex moyente in mobile transire, & quandiu spiritus illi mobili adherent, hujus motum continuari; verum hi omnes in motus continuationis causa

causa

causa detegenda irritò conatu laborarunt. Verosimilius igitur judicamus eandem causam, quæ primò corpori motum impressit, eundem motum continuare, impetum scilicet, seu impulsum à movente impressum, qui tamdiu perseverat, quamdiu ab ingenita corporis gravitate, à mediis resistantia, ab obsistente, aut à contrario impetu non evincitur. Corpora cum per lineam horizontalem, vel à verticali deflectentem projiciuntur, lineam parabolicam describunt; pondus ex summitate mali navis velocissimè decurrentis demissum, in infimam mali partem decidit; utriusque phœnomeni dabo causam.

XLIX. Tunc motus reflexio evenit, cum corpus mobile regreditur ab obsistente, quod pertransire nequit. Hujus reflexionis causa & origo est impellens vel elasticitas, qua partes corporis vi compressæ in pristinam expansionem sibi connaturalem se restituere nituntur; ex alterutrius corporis elaterio, obsistentis nimirum & percussis, hujus reflexio potest oriri; interdum etiam ad repercussionem, utriusque corporis elaterium concurrat. Si corpus in planum horizontale perfectè læve, & impenetrabile inciderit perpendiculariter, per eandem lineam regreditur; similiter si ex infra sursum in tectum horizonti parallelum læve, & impenetrabile perpendiculariter impingat, per eandem lineam resilit; si verò obliquè in obsistens feratur, aliam in regressu viam arripit, & describet angulum reflexionis angulo incidentiæ æqualem, ni mediis dispositio obstet, corporisve gravitas.

L. Tunc mobile refractionem patitur, cum ob majorem, vel minorem obsistentis obliquè contacti resistantiam à recta, qua incesserat, via deflectit. Refractio in eo à reflexione differt, quòd in ista corpus ab obsistente recedit; at in refractione corpus per obsistens movetur cum aliqua inflexione. Corpus verticaliter ad perpendicularum incidens non refrangitur; necesse est igitur obliquè

Motus reflexus.

Leges reflexionis.

Motus refractus.

Leges refractionis.

Motus elasticus.

Elasticitas

quæ incidere in superficiem corporibus inæqualis raritatis, vel densitatis communem, ut in progressu inflectatur. Motus elasticus est ille, quo corpus in violentam figuram redactum, in pristinum statum se restituit. Id tribus modis maximè contingit, primùm, cùm corpus vi compressum, ea vi amota, se extendit; secundò, cùm vi tensum se reducit, ut cùm fides per vim tensa longior fit, sed ea amota ad minorem longitudinem se reducit; tertio, cùm violentè inflexum se erigit, ut lamina chalybea complicata; sed quamquam hos motus in corporibus extare certissimum sit, at unde orientur, res est solutu non facilis. Nos probabiliùs existimamus corporum elasticitatem ab elasticitate aeris in eorum poris inclusi posse haud incongruè repeti. Abeat igitur Cartesius, qui motum elasticum provenire existimat ex materia subtili poros corporum ingrediente, dilatante, & corpora ipsa erigente. Quonam pacto moveatur globus ex tormento explosus, sagitta arcu emissa, & ventus impetu concitatus, petenti dicam.

Gravitas.

Levitas.

Descensus gravium.

LI. Gravitas est vis, qua corpora suo genio relicta terram petere nituntur. Illam in vi quadam ipsis corporibus intranea positam judicamus; nam nec magnetismus terræ, nec atomi aduncè è terra erumpentes, nec vorticosus motus liquidæ substantiæ per terræ ambitum circumactæ, nec columnæ materiæ æthereæ componi queunt cum phœnomenis in gravibus descentibus observatis. Absque levitate aliqua positiva, qua sponte corpora sublunaria in sublime ferantur, illorum ascensus congruè explicari potest, modò relativa levitate polleant.

LII. Gravia corpora per lineam rectam ad centrum terræ descendunt, ni aliquod in illa linea impedimentum adsit; nullum proinde extat pavementum exactè planum, cujus omnes partes eandem servant altitudinem, nec parietes juxta plumbi directionem erecti valent esse paralleli.

II. Corpus grave descendit per medium minus grave & fluidum, etsi istud suæ divisioni, & extrusioni resistat, quæ resistantia in causa est, cur aliqua corpora inæquali velocitate descendant; nam si non esset medium dividendum, corpora ejusdem ponderis, licet diversæ magnitudinis, eodem tempore descenderent. Ex corporibus diversam gravitatem specificam habentibus, si æqua mole, & figura sint prædita, illud per aerem velocius decedit, quod est specificè gravius; si verò eandem gravitatem specificam habeant, eandemque figuram, quod majus, ocius descendit.

LIII. Tantisper agendum nunc est de libero gravium perpendiculari descensu præcisivè à medii resistantia; quod ut clarius fiat, sequentibus thesibus breviter complectemur. Corpora gravia in descensu suum accelerant motum. Corporis motus equalis est impulsui quo movetur; hinc corpus grave minori impulsu agitur in principio descensus, quàm in progressu. Causa productiva impetus continuo illum producit, ni impedimentum adsit. Impetus producti equali tempore æquales sunt. Impetus producti in quocumque instanti descensus perseverant descensu perseverante. Impetus gravium descendendum successivè acquisiti se habent inter se sicut tempora in quibus acquiruntur. Grave descendens vi impetus acquisiti dimidium illius spatii percurrit, quod percurreret, si totum impetum, quo in fine motus agitur, ab initio motus possideret. Acceleratio motus gravium descendendum fit, saltem sensibiliter, secundum progressionem numerorum imparium I. III. V. VII. cet.

LIV. Circumscrivus locus corporum proprius, & terminus, ad quem localis motus collimat, est concava, immobilisque superficies corporis continentis. Bino corpore repleti non superat omnipotentem Dei virtutem. Quid vacui nomine intelligatur nemo est qui nesciat.

E

Du-

*Acceleratio.**Locus.**Vacuum.*

Duplex est, unum magnum, seu coacervatum, alterum parvum, seu disseminatum. Sunt qui, utrumque in natura extare, velint; sunt qui, nec à Deo ipso induci posse, existiment. Nos verò sentimus Deum, & Angelum posse vacuum etiam magnum inducere; imò & vacuum interspersum rejicere non audeo, nec adeo noxium existimo naturæ, ut ea illud penitus expavescat, quin ejus conatus impediri queat. Plurima phœnomena horri vacui attribui solita, possunt quam optimè per solam aeris pressionem explicari.

Calor.

Frigus.

*Caloris, &
frigoris
phœnomena.*

LXV. Quamquam corpuscularibus Philosophis libenter demus calorem plerumque comitari localem motum atomorum pyramidalium; vel rotundarum corporis poros permeantium, ac nerveas fibrillas pungentium; at motus iste persæpe caloris causa est, & interdum illius effectus; nam calorem ipsum positum esse asserimus in qualitate, vi cujus corpora, dum incalescunt, dilatantur, solvitur nexus, quo componentes illorum particulae colligatae sunt, conceptoque perturbato motu heterogeneae partes disperguntur, & homogeneae congregantur. Plerumque ignearum particularum effluvium in caloris propagatione erumpit; at illud non est calor, sed hujus vehiculum. Frigus non est caloris privatio, seu quies particularum, in quarum agitatione Recentiores stabiliunt, sed est qualitas, quæ corpora indurat, illorumque partes arctissimè devincit; ex quo fit ut homogenea, & heterogenea congreget. In frigoris propagatione interdum particulae salinae, & nitrosae diffunduntur, quæ frigus vehunt, vel efficiunt, corporibusque frigidis cognatae esse solent.

LXVI. Reliquum est, ut caloris, & frigoris phœnomena aliquot exponamus, ideoque subjectorum rationem dabimus. Corpora solidiora, atque duriora validiùs incalescunt, potentiùs urunt, ac diutiùs calorem conservant,

vant, quàm mollia cæteris paribus; flamma longius, quàm accensus carbo calorem diffundit: lebetis fundum, statim ac ab igne aqua fervente extrahitur, sentitur tepidum, aquæ verò fervore cessante, percipitur calidissimum: calor Solis ceram & oleum candida reddit; carnem verò nigram efficit: oris flatu compressis labiis in manum modicè distantem expulso, frigescit manus. Si verò aperto ore pellatur, calescit. Aliæ aliis Regiones sunt frigidiores, nedum quæ in diversis Zonis sitæ sunt, verùm etiam sub eadem Zona, imò & sub eodem parallelo collocatæ. Frigus plurima corpora, mortuam præcipuè carnem à putredine liberat, teneras autem plantas, ac vivam carnem adurit, & corrumpit; manus frigida ad ignem proximè admota vehementem dolorem percipit; animalium halitus hyeme, aut tempore frigoris veluti fumus apparet, secus in æstiva tempestate.

LVII. Corpus densum est quod sub parvis dimensionibus multum materiæ habet; rarum verò quod parum materiæ continet sub majori expansione. Corpora non densantur per diminutionem quantitatis, nec rarefiunt per hujus accretionem. Densatur igitur corpus ex eo quòd comprimatur, vel pori fiant angustiores, rarescit verò vel cùm novis poris pertunditur, vel cùm hi, quos jam habebat, fiunt magis patuli. Novorum pororum efformatio sicut & præexistentium dilatatio & compressio oriri possunt à qualitate aliqua corporis partes constringente, vel dilatante, vel à substantia, quæ ipsum corpus pervadat.

LVIII. Soliditas est affectio illa, qua corpus genio suo relictum suam figuram retinet constantissimè; fluiditas verò est ea corporis dispositio, qua alterius corporis figure sese accommodat. In figura, subtilitate, & partium dissociatione corporum fluiditas statuenda est; proinde ex illarum variatione, diversitate, atque imperfectione, varia quoque,

Densitas.

Raritas.

Soliditas.

Fluiditas.

diversa, atque imperfecta ortum ducit. Fluiditas stare potest cum inertissima particularum quiete, ipsamque ex numero accidentium absolutorum expungendam esse judicamus. Sensibilium corporum soliditas explicari aptè potest per hamatas, aduncas, ramosasque partes invicem implexas, & arctissimè complicatas.

Mador.

LIX. Humiditatem inter & madorem magnum reperitur discrimen; corpus enim humidum idem est ac fluidum aliis facilè adhærens; madidum verò dicitur, quod humido tinctum est; hinc sicca corpora licet humida dici nequeant, benè verò madida; siccitas est ea affectio, qua corpus redditur aliis difficilè adhærens. Neque fluiditas cum humiditate, nec cum soliditate siccitas confundendæ sunt; plurima enim corpora fluida reperire licet, quæ humiditate carent, sicut & plurima reperiuntur sicca omni prorsus firmitate & soliditate destituta. Tàm Humiditas, quàm Siccitas ex partium configuratione, atque figura repetendæ sunt.

*Humiditas
& Siccitas.*

*Alii corporum
status.*

LX. Superest ut diversos corporis accidentales, sensibilesque status addamus. Molle corpus dicitur, quod ex fluiditate constat, soliditate permixta; durum verò cum solido coincidit. Flexibile corpus est, quod ab uno ad alium situm inflexis, & quasi convolutis partibus facilè traducitur. Ductile, quod in longum & latum diffundi potest, seu extendi. Sectile, quod penes omnem partem æquè divisioni resistit. Fissile, cujus partes facilè in longum, quàm ordinantur, scindi & sejungi possunt. Tractile, cujus partes distrahi, seu expendi valent, ita ut tensione cessante, ad pristinam extensionem reducantur. Rigidum, cujus partes flecti nequeunt. Fractile, quod vi disruptum dividitur in frusta. Friabile tandem est quod si rumpatur, in pulverem, atque minutissima ramenta comminuitur.

LXI. Pro coronide sequentium phænomenorum
cau.

causam assignabo. I. Sal, saccharum, & similia ex liquidi admixtione colliquescent. II. Aliqua vi caloris indurantur, ut lutum; alia verò durissima licet liquescunt, ut metalla. Cuprum, & stannum, quæ seorsim sumpta sunt corpora satis mollia, & ductilia, si simul liquentur, efficiunt corpus maximè durum ac rigidum. Si pauca salis grana in vas latum injiciantur, tota aqua sale inficitur; secus verò si infundantur in fistulam tenuem & longam, quæ aqua sit plena. Vinum paulatim absque impetu sensibili super aquam in vase positam infusum, aquæ non admiscetur; benè verò, si impetu etiam levissimo injiciatur.

COSMOLOGIA.

LXII. **N**ihil aliud priscis temporibus Mundi nomen præsetulisse scimus, quàm hanc ipsam creaturarum omnium congeriem, seu compagem, quæ etiam Universi nomine significabatur, quod nomen posteris etiam temporibus usurpatum est. Mundus igitur ex Aristotele definitur: *Compages ex cælo terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ inter ea continentur.* Quoad Mundi unitatem magna fuit inter Philosophos antiquos dissensio. Ego verò licet alios Mundos possibles existimem, de factò tamen nihil nos cogit ut plures agnoscamus. Magnitudo Mundi finita licet; tanta tamen est, ut omnem imaginationis vim excedere videatur, jureque Prophetam exclamasse: *O Israel quàm magna est domus Dei!* Mundus hic pulcherrimus quidem & perfectissimus est, at non ideo omnipotenti Deo deneganda est vis alios longè isto pulchriores, & perfectiores efformandi. Anima Mundi inter Veterum somnia collocanda est.

Mundus.

*Notes
Mundi.*

Mun-

LXIII. Mundus non ab æterno, ut Aristoteli placuisse traditur, nec ex fortuito corpusculorum occursum, prout Epicurus voluit, formatus est; sed in tempore, Dei sapientia illius partes disponente, è nihilo emersit. Quæ de rebus à Deo initio Mundi sextuplici die conditis primo Geneseos textitur, historiam paratus sum recensere. Licet non adeo certum sit, quo anni tempore Deus Mundum condiderit, verosimilior mihi eorum sententia videtur, qui Mundum formatum existimant in Æquinoctio verno, Sole nimirum ab Æquatore versus Cancrum arripiente viam. Mundus in statu, quo nunc est, potest præcisivè à presenti Dei providentia, qua decrevit statum illum aliquando tandem defecturum, in æternum solo ordinario Dei concursu perseverare.

ASTROLOGIA.

LXIV. **D**E corporibus jam cœlestibus sermonem habiturus, operæ pretium duxi prius nonnihil de Mundi Systemate fari. Mundi igitur Systema est debita magnarum Mundi partium, Cœlorum scilicet, Planetarum, & Elementorum secundum locum dispositio. Varia Systemata ad explicandos Syderum, Planetarumque motus ab Astronomis sunt inventa. Famosiora sunt Ptolomaicum, Copernicanum, & Tychnicum. Ptolomaicum jam exlevit, ab ejusque ambagibus abhorremus. Copernicanum, etsi plura phænomena simpliùs faciliùsque explicet, alia tamen relinquit impossibilia explicatu; proinde ipsum nec ut hypothèsim amplecti posse judicamus. Terram itaque fixam, immobilemque, & Cœlos fluidissimos, per quos Planetæ circumagantur, cum Tychnicis statuimus.

*Mundi
Systemata.*

Cœli affectiones.

Col.

LXV. Constantes Syderum motus , varios coelestium corporum aspectus , aliaque id genus viri in Astronomia peritissimi lapsis retrò sæculis inquirere sategerunt : quapropter , etiamsi subjecta phænomena revera extitisse affirmare non ausim , eorum nihilominus , & verosimiliorem causam assignabo , & modum , quo à Ptolomaicis , Copernicanis , & Tyronicis explicantur , afferam. I. Sydera fixa , & Planetæ singuli motu diurno circa tellurem certa quadam periodo , ac tempore moventur. II. Sydera fixa lento quodam motu in Orientem deferri , Veteres observarunt. III. Præter motum tardidissimum , quo Stellæ fixæ de Occasu in Ortum aguntur , motum alium in ipsis Syderibus observarunt plurimi , quo veluti libratione quadam modò ad Orientem , modò ad Occidentem , aliquando ad Austrum , nonnumquam ad Boream accedunt , qui motus librationis , seu trepidationis appellatur. IV. Singulis Planetis proprius motus inesse debet , ut ex Occidenti in Orientem diversa periodo , & inæquali tempore ferantur. V. Planetæ dum suam periodum agunt , magnitudinem variare videntur , atque nunc proximiores telluri , nunc ab illa remotiores apparent. VI. Planetæ aliqui dum proprio motu ab Occasu in Ortum excurrunt , jam velocius excurrere , jam quiescere , jam in Occasum regredi videntur , atque emensum Zodiaci spatium quasi remetiri. VII. Retrogressiones longè frequentiores sunt in Jove , quàm in Marte ; in Saturno , quàm in Jove ; quemadmodum Planetæ quò remotiores sunt à tellure , eò minores arcus retrogradi incurrere dicuntur. VIII. Dum Planetæ superiores retrogradi sunt , Soli oppositi e tellure conspiciuntur ; cum verò directi fuerint , ipsi conjuncti videntur. IX. Omnes Planetæ , dum retrogradi sunt , majores & velociores apparent ; minores , & tardiores , dum directi. X. Luna in novilunio , & plenilunio

Cœli phænomena.

nio major & celerior apparet ; minor & tardior in quadraturis. XI. Sol etsi numquam stationarius , directus, aut retrogradus sit , non æquali temporis spatio Zodiaci Signa percurrit ; sed plus in Borealibus Signis , quàm in Australibus moratur ; atque major & proximior hyeme, quàm æstate conspicitur. XII. Venus & Mercurius constanter motum Solis sequuntur , ita ut ab isto nec illa plus quàm gradibus 48. , nec iste plus quàm 28. recedat ; quamvis Solem jam sequi , jam præire videantur.

LXVI. Cœlestia corpora etsi pulcherrima sint, non ideò animata censeri debent. Quid in hac re senserit Augustinus , ex luculentissimis ipsius testimoniis deducitur ; coelos scilicet sine anima meliùs statuendos , ex propria sententia non semel docuit ; & quamquam priùs hac in re anceps extiterit , hæc tamen dubitatio fulgentissimo Ecclesiæ Soli perperam errori vertitur ; abeat igitur Morainus , quem Augustinum carpenti infelix prurigo tenuit. Cœlestia corpora corruptioni obnoxia esse verosimilius existimamus , variis torqueri motibus visu percipimus , quos ex Angelicis Spiritibus repetit D. Thomas.

Sol.

Solis maculae.

LXVII. Inter cœlestia corpora primus sese offert Sol, quem igneæ naturæ judicamus. Telescopii ope deprehenderunt Astronomi in solari disco partes quasdam nigricantes umbrarum instar , quas maculas appellarunt, quarumque figura irregularis quandoque est , cùm illarum aliqua modò augeri , modò minui videantur , quousque tandem penitus evanescant. Hæ maculæ sunt fumi quidam ex Sole , ceu ex fornace erumpentes , qui tantisper ab eo digressi adensantur , & quamdam opacitatem induiti Solem obtenebrant. Non inficiar tamen, quòd Planeta aliquis uti macula Solem quandoque obscuraverit. Ex majori vel minori harum macularum densitate oriri potuit insolitus ille pallor , quem fertur Veteres in Sole

observasse. Hinc facile inferre licet, quod eadem Atmosphæræ dispositione, eademque Solis à nostra verticali distantia perseverantibus, ex ipsa interna Solis constitutione oriri potest, quod quosdam dies calidiores, & lucidiores aliis experiamur.

LXVIII. Lunæ corpus sphæricum; globosumque est, cujus superficies non levigata, sed scabra, aspera, variisque prominentiis inæqualis conspicitur. Plantis, animalibus, hominibusque exornatam esse, adstruere non possumus, nisi fingendi licentiam arripiamus. Luna fulget lumine à Sole emendicato. Lumen illud quod in parte Lunæ Soli adversa in primo ejus incremento, ac ultimo decremento conspicitur, ortum ducit ex Solis lumine à terra in Lunam repercuso. Subobscura illa lux, qua Luna in eclipsibus plerisque totalibus languidè splendet, quemadmodum & rubor quo tunc temporis tincta apparere solet, possunt ex radiis Solis in atmosphæra refractis, oriri. Duo in Luna macularum genera distinguntur; quædam grandiores, ac perennes: aliæ minutiores aut ex temporaneæ, quæ modò majores fiunt, modò minores, modò tandem evanescunt. Perennes Lunæ maculæ sunt quædam illius partes lumini reflectendo ineptæ; cæterum maculæ ex temporaneæ non aliunde oriuntur, quam à prominentioribus partibus umbras in depressiores diffudentibus. Luna cum menstrua revolutione agitur diversas phases nobis exhibet, quod unice repetendum est ex diversis aspectibus, quibus Sol eam intuetur.

LXIX. Pulcherrimum Veneris Sidus cum Solem prævenit, *Phosphorus*, *Lucifer*, *Aurorifer* appellatur; dum verò Solem ipsum proximè sequitur, *Hesper*, *Vesper*, vel *Vesperugo* dicitur. In Venere eadem phases observantur, quæ in Luna solent conspici; modò enim falcata, modò gibbosus apparet, quod ex eo oriri potest, quod nempe

F

circa

*Luna.**Lunæ maculæ.**Lunæ phases.**Venus.*

Mercurius. circa Solem circulum licet excentricum describat. Illius superficiem maculis foedatam observavit Blanchinus. Unde oriri queant dicam in arena. De Mercurio Planetarum minimo pauca dicenda supersunt, vel quia ea quæ de venere diximus Mercurio quoque conveniunt, vel quia ob ejus exiguitatem, & quia Solis radiis immergitur, fit rarò conspicuus.

Mars.

LXX. Martem quoque insignibus umbris maculari ope telescopii deprehenditur, quæ solarium instar augentur, decrescunt, ac tandem evanescent. Varias phasas nobis exhibet; atque sive oppositus Soli, sive ipsi conjunctus pleno Orbe fulget. Suis quoque maculis Jupiter nigricat, quæ maximè diurnæ sunt; cingitur insuper quibusdam fasciis non continuis, sed interruptis; varias quoque phasas solet nobis obvertere. Eum quatuor Satellites commitantur; alii alios se observasse existimarunt, qui non proprio fulgore nitentur, sed à Sole

Jupiter.

Saturnus.

lucem accipiunt. Saturnus grandioribus telescopiis observatus aliquando tricorporeus visus est. Creditur ipsum, aliorum Planetarum instar, proprias habere maculas; annulo quodam ambitur, qui juxta variam inclinationem, qua à nobis videtur, nunc contractior, nunc explicatior apparet; quandoque adeo constringitur, ut veluti linea medium Planetæ discum secans videatur. Circa Saturnum non secus ac circa Jovem stellulæ quædam deprehensæ sunt, quas Satellitum etiam nomine insignierunt Astronomi.

Stelle fixæ.

LXXI. Stellæ fixæ propter immanem à terra distantiam visum nostrum etiam telescopio armatum adeo subterfugiunt, ut non nisi conjecturis possimus illarum naturam rimari; id tamen pro comperto haberi potest, fixas nempe proprio lumine fulgere, cum nequeant à Sole sensibiliter illuminari; ipsas quoque supra Saturnum elevari, ex nulla aut vix sensibili earum paralaxi sua-

suadet. Fixarum numerus determinari nequit, nam quó plus Optica perficitur, eó plures stellæ fiunt nobis conspicuæ. Præter motum quo circa terram torquentur, aliqui existimant alium in eis reperiri, vertiginis nempe, quo circa proprium axem rotantur, & ex quo fortasse repeti potest quarundam stellarum apparitio.

LXXII. Corporum coelestium influxus in hæc inferiora sensibus ipsis innotescit; at in quo statui debeat, non inter omnes convenit. Recentiores, qui vel nomen qualitatum entitativarum horrent, coelorum influentiam collocant in effluviis ab Astris diffusis; sed nos systemati qualitatum insistentes, illam in qualitate ponimus, calore nempe, frigore, cet. Hinc Astronomi ex siderum inspectione nedum conjunctiones, aspectus, & eclipses certó præ sagire possunt; verum & morbos, pluvias, serenitatem, probabiliter tamen; casuales verum eventus, ut quod aliquis fulmine percussus interiturus sit, prorsus superant Astronomorum scientiam.

LXXIII. Planetæ languoribus, seu eclipsibus obnoxii esse solent. Sol itaque eclipsim patitur, cum inter ipsum visumque nostrum Luna directè reperitur, ad quod necessariò exigitur, & quòd Luna sit in conjunctione, & quòd ultra, citraque lineam eclipticam non vagetur. Si Luna à Sole adeo discesserit, ut terra diametraliter interposita Soli opponatur, lumine orbata apparebit; nec ideo in omni oppositione caligabit Luna, sed tunc solùm, quando in plenilunio eclipticam dissecaverit. Utriusque Planetæ eclipsis potest & totalis esse & partialis, quarum notiones & causas dabimus. Planetæ reliqui tunc eclipsim subeunt, cum ab aliquo sidere teguntur ne Solis lumen accipiant, aut ne lumen ab eo acceptum ad nos usque transmittant.

LXXIV. Armillaris Sphæra lineas exhibet, per quas errantia sidera suas efficiunt revolutiones, variaque com-

*Cœlorum
influxus.*

Eclipses.

plectitur puncta ad Planetarum vias designandas maximè utilia. In illa quippe reperiuntur Axis, Poli, Zenit, Nadir, item decem circuli, scilicet Æquator, Horizon, Meridianus, Zodiacus, duo Colluri, duo Tropici, & duo Polares. Quorum omnium essentiam, utilitatem, & usum rogatus afferam. Qui sub Polis habitant, habent sphæram paralellam, quia Æquator est illorum Horizonti parallelus, aut cum isto confusus. Qui sub Æquatore sunt, sphæram habent rectam, seu quasi libratam, & Polos in diversis, & oppositis sui Horizontis punctis; aliis tandem sphæra est obliqua, his nempe, quibus Sol circulos describit ab Horizonte obliquè inter sectos. De Zonis, earumque incolis, Amphisciis, Perisciis, Heterosciis, de Antipodis, Antæcis, cet. de Climatibus, longitudine & Poli altitudine nonnihil eloquar, si jusseris.

CHRONOLOGIA.

LXXV. **S**upremus rerum Artifex ex uno plura commoda captare cupiens motum corporibus cœlestibus impressit nedum ut sublunarium generationi inservirent, istorumque conservationem promoverent, verum etiam ut dividerent diem ac noctem, & essent in signa & tempora, & dies & annos; motu etenim Astrorum, Solis præcipuè, habetur tempus. totus Chronologiæ scopus, quæ Historiæ studiosis quantum utilitatis afferat, nemo est qui nesciat; cum omnibus semper turpissimum visum fuerit Historicum, vel quæ diversis temporibus eodem, vel quæ eodem contigerunt, diversis temporibus consignare, quod dedecus qui vitare cupit, non nisi Chronologiæ studio assequetur. Tempus igitur in horas tribuitur, dies, menses, hæbdomadas, & annos, atque, si placet, in lustra, sæcula, & æva.

*Temporis
notio.*

Hora

LXXVI. Hora est nobis vicesima quarta pars diei, *Hora.*
 quæ etiam in sexaginta minuta, quæ minuta prima ap-
 pellantur, secatur: quod rursus minutum in sexaginta
 secunda, atque ex his quodlibet in sexaginta tertia, &
 sic deinceps; at hæc secundorum, tertiorumque ratio
 non habetur frequenter nisi apud Astronomos, qui side-
 rum motus, conjunctiones, eclipsiumque initia & fines
 scrupulosiori observatione contemplantur. Horarum nu-
 merandarum initium non fuit idem apud omnes; nam
 licet nos à punctis meridiei, & mediæ noctis horarum
 initium ducamus; Itali tamen à dimidia hora occasum
 Solis subsequente usque ad vicesimam quartam perdu-
 cunt horas una serie, quam adeo post semihoram ab
 occidente Sole absolvi necesse est. Judæi spatium tem-
 poris quod ab ortu ad occasum Solis fuit in quatuor
 partes dissecabant, quæ nominibus *Prima, Tertia, Sexta,*
& Nonæ significabantur, atque harum singulis in tres
 divisis, numerus duodenarius coalescebat; nec omnium
 æqualis erat fluxus, sed productiores æstivo, & contra-
 ctiores hiemali tempore dilabebantur.

LXXVII. Dies alius artificialis, alius naturalis est. *Dies.*
 Ille est tempus quod insumit Sol ex Orientali Horizonte
 assurgens quousque occiduis dispareat. Huic ex opposi-
 to correspondet nox. Naturalis dies est temporis spatium
 à Sole insumptum, dum Meridiano relicto rursus ad
 idem revertitur. Artificiales dies, sicut & noctes eis cor-
 respondentes inæquales sunt, his præcipuè terræ tracti-
 bus, quibus sphæra obliquatur. At naturales dies sunt
 saltem sensibilibus æquales, quamquam & in his etiam
 Astronomi aliquam inæqualitatem deprehendant. Variæ
 sunt dierum appellationes tum sacræ, tum profanæ, nam
 ex Numæ institutione Romani habebant dies Festos, Pro-
 festos, Intercisos, Fastos, Comitiales, Comperendinos,
 Statos, & Præliares. Inveniuntur & apud J. CC. dies
 Atri,

Atri, Religiosi, Sigillarii, Diffisi. Sunt tandem apud rerum sacrarum tractatores dies Sancti, dies Votorum, dies Magnus, dies Consecrati, dies Neophitorum, atque dies Censorius, vel Humanus. Hi omnes cur his nominibus insigniti fuerint, causam afferam.

Hebdomada.

LXXVIII. Septem dierum curriculum Hebdomada dicitur, seu Septimana. Dies ex quibus Hebdomada coalescit ab Ethnicis commentitiorum Numinum appellabantur nominibus, quæ etiam nunc civilis consuetudo retinet; sed postea Ecclesia ut Gentilium superstitionum memoriam deleteret alia nomina subrogavit, quæ his sunt in usu, quibus divini Officii recitatio incumbit. Ex Sacris Bibliis habemus olim hebdomadas etiam annorum in usu fuisse, imò & ex his septies repetitis hebdomadam quadraginta novem annorum confecisse Judæos, quibus annis transactis Jubilæum celebrabant.

Mensis.

LXXIX. Mensis nomine venit duodecima pars anni. In Solarem, & Lunarem tribuitur. Solaris, si rigori astronomico standum est, est tempus, quod Sol insumit in quolibet Zodiaci signo percurrendo, cùmque in omnibus signis non equaliter moretur, hinc fuit Solares menses astronomicos debere inæquales evadere. Menses civiles sunt qui communiter sunt in usu, quique etiam inæqualitate pollent. Græci menses in tres decades dividebant, appellabantque dies mensis *ineuntis instantis, cadentis*. Lunaris mensis alius *Periodicus* est, *Synodicus* alius. Ille integra Lunæ per Zodiacum revolutione perficitur, cùm scilicet post totum Zodiacum emensum ad idem punctum, unde digressa fuerat, revertitur. Synodicus est tempus elapsum ab una Lunæ cum Sole conjunctione ad aliam. Prout ex integris diebus, & horarum, atque minorum fragmentis conficitur, ad Astronomos præcipuè spectat, sicque Astronomicus dicitur; est verò civilis, seu vulgaris, si Solis dies numerentur horis minutisque contemptis.

Ans

LXXX. Annus est præcipua temporis mensura, nihilque aliud significat, quàm certum dierum numerum ad motum Astri alicujus exactum; sed cum inter hæc Sol & Luna sint nobis observatu faciliores, hinc est quòd ex Solis Lunæque motibus annus communiter sumatur, quòdque in Lunarem & Solarem partiatur. Lunaris duodecim mensibus synodicis absolvitur; dicitur etiam embolismicus si ex tredecim Synodicis conficiatur, quo pacto & intercalaris appellatur. Solaris annus in naturalem & civilem, seu politicum tribuitur. Naturalis integra Solis per Zodiacum revolutione completur. Tropicus etiam, & Sydereus dicitur, quarum appellationum causas dabo. Annus civilis est Solis revolutio per Eclipticam diebus tantum integris numeratis. Annus varias mutationes diversis temporibus tulit, inter quas famosiores fuerunt Juliana & Gregoriana: modum in his servatum, utilitatemque inde maximam provenientem in conflictu audias.

Annus.

LXXXI. Non minus ad Chronologiam confert Cyclorum, quam annorum notitia. Cyclus itaque est revolutio determinati numeri annorum. Tres sunt in usu, Solis, Lunæ, & Indictionis. Solis Cyclus est viginti octo annorum spatium, quo peracto, idem rursus redit litterarum Dominicalium ordo repetendus. Lunaris Cyclus est revolutio novendecim annorum, quibus transactis, ad idem ferè principium redeunt Neomaniæ. Cyclus Indictionis est tempus quindecim annorum, quibus decursis, ad unitatem fit regressus; hoc Romani utebantur, atque summi Ecclesiæ Principes in suis Diplommatibus.

Cyclorum notio.

LXXXII. Ex Cyclis periodi conficiuntur, quorum non est exiguus in Chronologia usus. Nam si Solis & Lunæ Cyclos invicem ducas, emergit summa 532. annorum, ex quibus coalescit Victoriana Periodus; quam si uberius per quindecim Indictionis annos duxeris, ha-

Periodi.

be-

bebis Periodum Julianam ex annis 7980. conflatam. Sunt præter has aliæ periodi à Græcis inventæ, Antiochena nempe, Alexandrina, & Constantinopolitana. Antiochena est spatium 5493. annorum, quos Græci Antiocheni fluxisse statuebant ab Orbe condito usque ad Christi natale. Alexandrina Periodus est annorum 5501. tot enim Græci Alexandrini numerabant à mundi exordio ad natum Dominum. Constantinopolitana est series annorum 5509., tanto scilicet temporis intervallo post Orbem conditum Jesum fuisse natum existimabant Byzantini.

Epochæ.

LXXXIII. Maximè etiam Historiæ studiosis confert mundi tempora in certas Epochas distribuere, quod est alterum Chronologiæ institutum. Epochæ igitur est fixus quidam cardo, quo rerum gestarum designantur tempora. Plures quidem numerantur, cum sacræ, tum profanæ, singulæ illustri factis consignatæ. Inter sacras prima est Mundana, quæ scilicet à creatione mundi inchoatur: altera quæ ab universali diluvio ducit initium: tertia progrediens à vocatione Abraham: sunt & præter istas aliæ sacræ Epochæ, quas libenter indigitabo. Sed non prætereunda est inter omnes sacras nobilior, atque illustrior, ea scilicet unde nostra reparatio sumpsit initium. Inter profanas illæ recensentur, quæ incipiunt ab expugnata Troia, à ludis Olympicis, à Roma condita, ab imperio Augusti, ab Augusti in Hispanias dominatione, à Mahumetis fuga Hegira dicta, crasissimarum superstitionum initium. Aliæ etiam inter profanas numerantur, à quibus modò supersedendum duxi, non enim est hujus temporis omnes recensere.

Profanæ.

LXXXIV. Quo in anno dictæ Epochæ figendæ sunt me latere fateor, nec mirum, cum viri rei Chronologiæ, atque historicæ sapientissimi ipsa rei gravitate compulsi cogantur in tot tamque varios sentiendi modos

ab.

abire, ut capitum numerum videantur sententię superasse. Hoc igitur argumento aliis discutiendo relicto, sequentia problemata enodare offerimus; at cum ad id negotii calamo opus sit, necesse est etiam, ut roganti mane, vespere satisfiat. I. Dato anno Æræ Vulgaris, proprium illius Cyclum Solarem audies. II. Quot hujus Cycli præcesserint revolutiones numerabo. III. Dato die V. Æ. cui in veteri stylo correspondeat indigitabo. IV. Epactam veteri Kalendario nostroque respondentem inducam. V. Dato die mensis, Lunæ ætatem dabo. VI. Sitæ annus bisextus, quotque bisextiles effluxerint, tradam. VII. Cyclum Lunarem subjiciam, transactorumque numerum. VIII. Indictionem afferam, quotque à Christo effluxerint. IX. Dicam tandem quot Olympiadae à Christo decurrerint, atque an datus annus Olympicus sit, necne.

STOICHILOGIA.

LXXXV. **H**ÆC elementarem Mundum complectitur. Elementorum nomine ea corpora veniunt, quę cum ex primis principiis composita sint, ad aliorum compositionem veluti secundaria principia concurrunt. Quatuor communiter assignata, Ignis, Aer, Aqua, & Terra, adeo permixta esse solent, ut vix primigenia simplicitate gaudeant. Elementa nedum hæc illac disperguntur, sed per formarum productionem fiunt, & per ipsarum interitum evanescent. Plures Elementorum particulae in mixtorum poris delitescent, quibus mixta foventur, eorumque virtutes roborantur; sed hinc perperam conficeretur, mixtum ex Elementorum formis coalescere. Elementa in suis locis gravitant, adeo ut subjecta cor-

Elementa.

G

pora

pora premant, vel nisum & ponderationem exercent; tantum abest, ut otiosa quiete fruantur.

*Ignis, ejus-
que affec-
tiones.*

*Ignis pha-
nomena.*

LXXXVI. Circa ignis naturam quædam experimentis deducta delibabimus. Est fluidus, lucidus, calidus, & siccus, partesque habet adeo irrequieto motu agitata, ut quaquaversum perniciosissime dilabantur. In orbe Lunæ, vel sub ejus concavo ignis statuitur ab aliquibus, his nempe, qui vel ovium more non quò eundem, sed quò itur eunt, vel qui ad majora nativitate in rei ferè nullius momenti discussione tempus insumere voluerunt: at existentia ignis sub Luna momentis adeo imbellibus innititur, ut Schottus ipse, licet illius strenuus assertor, tandem coactus fuerit palinodiam decantare. Ignis elementaris ad sui productionem, conservationem, & propagationem pabulum exposcit; quod viscosum, oleaginosum, sulphureum, nitrosumque est, maximè ad ignem confert. Plura in igne observantur, quorum rationem afferam: quòd nempe ignis sub cineribus occlusus conservetur; terra, aut alio denso corpore coopertus extinguatur: quòd vehemens flatus flammam extinguat; modicus magis accendat: quòd carbo omni ferè humiditate expurgatus difficile flammam concipiat; facilius verò lignum, etsi aquosis partibus compositum: quòd flamma, cum primò accenditur lucerna, tenuis, & cærulea appareat: quòd duæ flammæ, cum approximantur, ante contactum mutuò accedant, atque in unum veluti conum jungantur: quòd si fumo ex lucerna recenter extincta ascendentis flamma adjungitur, incendatur, extinctamque lucernam accendat.

*Aer, ejus-
que dotes.*

LXXXVII. Aer diaphanus est, fluidus, gravis, & elaterio præditus. Plures alias affectiones à particulis, quibus permiscetur, recipit. In tres regiones dividitur universa aeris moles; infimam scilicet, mediam, &

supremam. Infima tellurem ejusque incolas proximè circundat, eaque tota clauditur Atmosphæra, sic dicta, quia est permixta variis particulis heterogeneis, ab aeris natura diversis. Non una semper est Atmosphæræ altitudo, nam major in æstate, quàm hyeme est, superior quoque sub Zona torrida, eoque minor quò plus ad Polos accedit. Media aeris Regio incipit, ubi infima desinit: est præcipua Meteororum officina. Suprema denique ad Coelum usque cæteris purior, levior, atque subtilior expanditur.

LXXXVIII. Elasticitas, & gravitas aeris adeò naturæ inserviunt, ut innumerabilia phænomena ex illis valeant repeti; sequentia præcipuè non aliunde oriri posse existimo. I. Recipiens Machinæ Pneumaticæ, planis superficiebus constans, extracto crassiori aere dirumpitur. II. Vesicula pene vacua, si intra recipiens alligato collo, constituatur, exhausto aere, adeò intumescit, ut plerumque dirumpatur. III. Pomum rugis contractum, & pene flaccidum complanatis rugis, quasi recens ex arbore decerptum apparet. VI. Si ovum, extremitate perforata, ita in recipiente exhausto collocetur, ut pars perforata alteri parti sit inferior, liquida ovi pars pene tota exit; ubi verò crassiori aeri iterum pateat ingressus, ea quoque ovi pars priorem locum repetit. V. Si vas aqua repletum, spongiamque ea imbutam in ipsius superficie positam intra recipiens constituamus exsucto crassiori aere, spongia aliquatenus elevatur; ingresso verò, spongia rursus immergitur. VI. Fructus, flores, carnes, & corpora omnia, quæ aeri exposita citò putrescunt, intra exhaustum recipiens diutiùs conservantur. VII. Pulvis pyrius, in recipiente exhausto constitutus ægrè incenditur ope speculi ustorii. VIII. Aqua frigida in recipiente posita, exantlato aere, prius emittit plurimas aeris bullas,

*Aeris phæ-
nomena.*

quæ tamen postea minores semper tum mole, tum numero apparent. IX. Fumus in recipiente exhausto descendit, ut animadvertunt Taglini, & Borelli. X. Ubi primum embolum antliæ trahimus, facillimè id ipsum præstamus; & quò plus aeris exsugitur, eò difficilius embolus exit. XI. Folles occlusis omnibus, foraminibus, quibus aerem excipiebant, non nisi vi maxima deduci possunt; imò subito franguntur, si nimio impetu divellantur. XII. Duo marmora perfectè lævigata, invicemque conjuncta, non nisi vi maxima divelli pariter possunt. XIII. Duo Emispheria Magdeburgica vel à duobus equis dividî nequeunt, si crassior aer ab illis extrahatur. XIV. In doliis vini, aut clepsydris irrigatoriis, si superius eorum orificium occludatur, aqua, vel vinum non effluit. XV. In tubo vulgari mercurius suspensus hæret usque ad viginti septem, aut viginti octo unciarum altitudinem; verum in capillari supra consuetam altitudinem ascendit. XVI. Aqua ad usque duorum, & triginta pedum altitudinem hæret suspensa in vulgari tubo. XVII. Hydrargirum ad septuaginta quinque digitorum altitudinem ascendisse, se expertum fuisse, testatur Cl. Hugenius. XVIII. Aqua in anthliis prementibus, & aspirantibus ascendit. XIX. Si crus brevius siphonis, seu tubi recurbi in aquam immergatur, & per crus longius aer extrahatur, statim aqua per illud effluit.

Aqua.

LXXXIX. Aqua limpidissima licet appareat, plurimis nihilominus aliorum corporum partibus inquinatur. Frigore, humiditate, fluiditate, & gravitate potest. Eam Deus in unum locum congregavit, & appellavit Mare, quod licet unum sit, ex variis littoribus, quæ abluit, varia nomina sortitur. Maris salsedo ex salis particulis in illius alveo repositis ortum ducit; sicut amarulentia salsedini permixta ex bitumine & sulphure sali admixtis provenit. Aqua Maris per ocul-

*Fontium,
& fluminum origo.*

LOS

tos terræ meatus defluens, potest in copiosissimos fontes erumpere, ex quibus ingentia flumina procreentur; nec diffitebor tamen, pluviales aquas, nivesque resolutas, posse esse plurimum fontium, fluminumque originem. Tota aqua fluminum, Marisque alveis non concluditur; sed extant intra terræ viscera immensa Hydrophylacia, cujus haud leve argumentum esse possunt ingentes lacus, proximè elapsis temporibus in America efformati.

Hydrophylacia.

XC. Nunc non nihil de aquarum virtutibus dicendum venit. Therme sunt aquæ calidæ, quæ cum per eam telluris partem, in qua subterraneus viget calor, præterlabuntur, intensum calorem concipiunt, & per montium latera, aut telluris rimulas in calidos fontes scaturiunt; quemadmodum salsedo, quam in aliquibus fontibus, & puteis experimur, ex salis rupibus, ex mari, aut ex soluto per terram sale, quem aquæ elambunt, repeti haud incongruè potest; neque salsedo tantum, & calor, sed virtutes etiam omnes, quæ in variis fontibus observantur, ex mineralibus locis, quibus dilabuntur, ab aquis adduci videntur. Aliqui enim fontes sulphureas, alii nitrosas, atramentosas alii particulas continent; nonnulli auripigmentum, alii antimonium, alii sandaracham, ut odor ipse, vel eorum sapor ostendit, admixtam habent. Atque his de causis plurimi sunt fontes medicinalibus viribus præditi, ut quidam nervos emolliant, alii viscera purgent, alii sanguinis fluxum detineant, alii languentes artus corroborarent, alii denique admirabiles alios in humano corpore effectus producant.

Thermæ.

XCI. Terra superficiem scabram habet montibus exasperatam, quorum originem Orbis inundatione antiquiorem existimamus. Illius figura licet non mathematicè, sensibiliter tamen, & physicè rotunda est: nec ob-

Terra, ejus que figura.

ser-

*Terræmo-
tus.*

servationes nostra ætate sub Æquatore factæ oppositum evincunt. Frigus, siccitas, & gravitas sunt proprietates terræ congenitæ. Plures ignivomi montes reperiuntur, qui fumum, cineres, flammisque evomunt; quod oritur ex maxima sulphuris, nitri, ac bituminis copia in terræ penetrabilibus accensa, vel ex variis Pyrophyliciis, quibus terræ viscera exuruntur. Terra variis mutationibus obnoxia est, quibus modò tremit, modò quassata dehiscit, modò hiante ore ædificia, Urbes, Regiones integras deglutit, fortasse non evomitura. Tres terræmotus species observantur; tremor, pulsus, & inclinatio. Efficitur terræmotus ab inflammatione sulphuræ, nitrosæ, & bituminosæ materiæ, quæ in terræ cavernis accensa, & rarescens, ampliorem locum quærens, terram movet, concutitque; possunt & subterranei venti in terræ cryptis rapidissimè grassantes terræmotus efficere; imò & subterraneis aquis terræ latera corrodentibus, superimpositus terræ fornix potest interdum collabascere.

METEOROLOGIA.

Cometæ.

XCII. **Q**uamquam Meteora dicantur corpora in sublimi apparentia, usus tamen obtinuit, ut isto nomine ea etiam Phœnomena vocarentur, quæ in terris & aqua fiunt; ideoque etsi de his aliqua supra dixerimus, rursus de eisdem redibit sermo. Inter Meteora Cometæ nos maximè percellunt. Hi coelestes, vel infralunares esse possunt. Coelestes vel gignuntur ex materia coelesti, vel sunt stellæ in mundi conditione à Deo creatæ, quæ per circulos immaniter excentricos revolutæ, solùm fiunt conspicuæ cùm in Perigæo; vel prope existunt. Quamquam non ibo inficias, si verum sit sydera

m.

motu vertiginis torqueri, ex eo repeti posse aliquorum Cometarum apparitionem, tunc nempe cum sydus, quod penes obscuram partem nos aspiciebat, nobis postea lucidam obvertit. At coelestes Cometæ magis ad Astrologiam spectant. Infralunares ortum ducunt ex terrestribus exhalationibus; quæ solaribus radiis excitatæ, in supremam aeris regionem evehuntur, ibique vel concepto motu ignescunt, vel à radiis solaribus accenduntur juxta aliquos, aut ita illustrantur juxta Gallilæum, ut ad instar syderum effulgeant. Igitur in pinguem errorem lapsi sunt, qui existimarunt, Cometæ omnes ex stellulis coacervatis fieri. In Cometis crines, cauda, aut barba solent observari; motus item diurnus ex ortu in occasum; tandem motus accessus, & recessus ab alterutro polo, quibus per Zodiacum decurrere videntur. Omnium afferam causam.

XCIII. Communis materia nedum inferiorum Cometarum, verum & ferè omnis meteori sunt halitus quidam ex aqua & terra in sublime elevati. Duplex halituum genus distinguitur; vapor scilicet, & exhalatio: ille ab aquis, & humidis corporibus; hæc verò à terra, & siccis ascendit. Inter ignis meteora præcipuum locum obtinent Fulgur, Tonitru, & Fulmen. Horum una est materia, nempe exhalatio calida nitro, & sulphure foeta. Hæc inflammata materia rarescens, ac latè serpens, aerem commovet, mugitumque illum edit, quem Tonitrum vocamus. Fulgur fit, cum accensa exhalatio in tenuissimos halitus dividitur, vel cum producto lumine oculos nostros percellit. Crassiores tandem halitus conglobati, & intra nubem convoluti, sunt materia fulminis, quod erumpit, ac vibratur; nec ideò eorum sententiæ refragabor, qui existimant, fulmen quandoque ibi formari, ubi stragem inducit. Ignis impressiones sunt Stellæ cadentes, Ignes lambentes, Dracones, Capræ saltantes,

Ig.

*Meteora
ignita.*

Tonitru

Fulgur.

Fulmen.

Ignes fatui, Castor, Pollux, & Helena. Stellæ cadentes sunt tenuis, viscosus, & sulphureus halitus in altum elevatus, ibique ab una in aliam extremitatem accensus, ac illicò evanescens, qui veluti Stella ruens, aut de cœlo cadens aspicitur. Ignis lambens est exhalatio subtilissima, & accensa, quæ hominum, aut brutorum pilis absque ulla læsione ob suam viscositatem adhærescit.

XCIV. Si exhalatio accenditur ita, ut medium prius veluti intumescat, figuram Draconis exhibet. Capræ saltantes sunt laxiores ignes circa accensum globum veluti tripudiantes capilli. Ignis fatuus est exhalatio, quæ semel accensa, & ab aere mota instar fatui hominis huc, illucque discurrit; quod autem aggredientes homines fugiat, & fugientes aggrediatur, ex eo oriri potest, quòd ad fugientis hominis locum replendum ab aere evehatur, & ab aggrediente antrorsum urgeatur. Si ex exhalationibus, quæ ex agitato mari, & ex pice, aut navium bitumine erumpere solent, & circa navigia frequenter accenduntur, una tantùm appareat, dicitur *Helena*; si autem duæ *Castor*, & *Pollux*, aut *Helene* fratres appellantur; verùm si tres, aut plures apparuerint ignes vocantur *S. Telmi*, quos Nautæ ceu faustissimum omen celebrare solent.

Aerea.

*Ventorum
causa, &
natura.*

XCV. Ex aeris agitatione efficitur ventus, vel potius nihil est aliud, quàm agitated aer; cùm autem hic variis, & ferè infinitis directionibus moveri valeat, totidem venti valent exoriri. Aerem plures causæ agitare possunt; exhalatio nempe à terra erumpens, descensus pluviae, nivium delapsus, & Solis calor. Præter frequentes ventos leniter spirantes sunt alii subiti, violenti, & rapidissimi, qui procellæ appellantur; hujusmodi sunt *Ecnephas*, *Typho*, *Præster*, & *Exhydrias*. *Ecnephas* est rapidus ventus, qui ex discissæ nubis sinu recta & perpendiculari via erumpens, in terram maxima vi, atque

celeritate pertingit. Oritur ex halitu nitroso, & sulphureo, qui nimis calefactus, ac violenter commotus, in superiorem, densamque nubis partem impingens, totum impetum deorsum concipit, auctisque in descensu viribus ob novam halituum accessionem, in terram, vel mare irruit, maximam ædificiis, plantis, & navibus perniciem adlaturus.

XCVI. *Typho* est rapidior adhuc, & vehementior ventus, qui ex nube repente exiliens, non recto, sed spirali motu in terram decidit. Ex eodem quo *Ecnephias* halitu formatur, ac per nubis latera ab ipsis nitrosis particulis, aut ab oppositis ex eadem, vel diversis nubibus prosilientibus ventis circumactus vorticosum motum concipit, tantoque impetu subjecta corpora torquet, ut arbores eradicare, lapides attollere, integra quoque navigia, non frangere modò ac invertere; sed in altum abrepta rotare, & in mare immergere (si fides sit referentibus) consueverit. *Præter* nihil est aliud, quàm *Typho* ipse, aut *Ecnephias*, ex varia partium sulphurearum perfricatione in aere, aut prope terram accensus. *Exhydrias* denique est turbo, qui aliorum instar è nube egrediens, uberrimam aquæ copiam abripit, quam in pluviam largissimè effundit.

XCVII. Inter meteora lucida visui nostro pulchrior est *Iris*, quæ formatur ex radiorum Solis in roïda nube refractione & reflexione; ipsius colorum varietas repeti debet ex majori vel minori angulo, quem radii solares in nubem incidentes, indeque reflexi, efformant. *Halo* est circulus, qui Solem, & Lunam sæpissime, Venerem autem, & Jovem rarò, ambire solet. Fit, cum vapor aliquis infra Solem & Lunam in tenuem nubem concrevit, in qua utriusque radii refracti circulum lucidum nobis repræsentant.

Lucida.

Iris.

Halo.

H

Quant

*Virga.
Parhelium*

*Parasele-
ne.*

Vialactea

*Crepuscu-
lum.*

*Meteora
aquea.*

Quandoque nubes plures partes rariores interspersas, ac disseminatas habet, vel variis cavitatibus, seu foraminibus pertunditur, per quæ radii Solis recta ad terram usque trajiciuntur, tuncque appellantur *Virgæ*, quia ad istarum similitudinem protenduntur. *Parhelium* est spurius quidam, atque ementitus Sol, fitque, cum radii Solis in nubem mediocriter densam, & æqualiter opacam, ad Solis latera cum quadam proportione sitam, incidunt; atque inde ad nostrum oculus reflexi, unum aut plures Soles exhibent. Eodem pacto *Paraselenes* genesis contingit, quippe nihil est aliud, quàm ementita Luna.

XCVIII. *Galaxia*, seu *Via Lactea* est fascia quædam, quæ ex Austro in Boream protensa, atque albicans æstate solet apparere. Est multitudo stellarum, quæ ob sui exiguitatem sunt nobis inconspicue, & quarum splendor oculis nostris candidam illam veluti Zonam ostendit. *Crepusculum* est ea Atmosphæræ pars illuminata, quam ante Solis ortum in orientali parte, & in occidentali post Solis occasum intuemur. Quæ manè contingit illuminatio, dicitur *Aurora*, sive *Crepusculum matutinum*; quæ vesperè verò, dicitur *Crepusculum vespertinum*. Efficitur à Solis sub Horizonte parum depressi radiis, qui in Atmosphæra refracti, varièque reflexi ad nostrum visum perveniunt, rubrum, roseumve colorem exhibentes. Breviora sunt hyeme, quàm æstate *Crepuscula*; vel quia æstate Sol obliquiores circulos peragit, vel quia Atmosphæra æstate altiùs attollitur. *Aquea meteora* ex vaporibus in altum evectis, ac ibidem concretis procreantur; hujusmodi sunt nubes, *Nebula*, *Pluvia*, *Nix*, *Grando*, *Aurora serotina*, *Ros*, *Pruina*, *Mel*, & *Manna*. Singulorum genesim referam libentissimè.

PSYCHOLOGIA.

XCIX. **F**ons unde corporum vita fluit anima vocatur, quæ viventia corpora constituit; ista autem à non viventibus per cognitionem, & motum, licet non quemlibet, discriminantur. Veterum nonnulli adeo in exponenda Animæ notione errare, ut illorum deliramenta referre pudeat. Anima igitur rectè definiri valet: *Actus primus corporis phisici, organici, cet.* Anima alia vegetativa, alia sensitiva, alia demum rationalis est; nec ideò in homine, ubi vegetatio, sensatio, & ratiocinatio reperiuntur, triplicem animam adstruere opus est; nam cum superior inferiores complectatur, unica sufficit ad prædictas vitæ functiones ritè peragendas. Vegetativa anima est principium illud, unde plantæ habent, quòd nutriantur, adolescant, & sibi similia procreent; nam his actionibus obeundis insufficientes prorsus sunt particularum localis motus, & stupida ipsarum configuratio. Turpissimè erraverunt Anaxagoras, & Manichæi, quorum illum sensitivam in plantis animam, hos verò rationalem etiam traditur confixisse. De potentiis animæ vegetantis eloquar.

C. Sensitiva anima est forma sensationis, seu perceptionis capax, variisque facultatibus instructa. Hac pollent Bruta; non enim existimanda sunt ut meræ, stupidæque machine, inertis hebetudine torpescentes. Ut Bruta cognitiones eliciant, debent intra se objecta habere, aut objectorum simulacra depingere, quorum aliqua ab objectis imprimuntur, alia ab ipsa anima elaborantur, alia tandem sunt à natura indita. Suis facultatibus, seu externis sensibus donatur anima; tactu

*Notio Ani-
mæ.*

*Anima ve-
getans.*

*Brutorum
anima sen-
tiens.*

*Specierum
sensibilium
origo.*

scilicet , gustu , olfactu , auditu , & visu , quorum anatomen , seu partes , quibus eorum organa instructa sunt , describam in certamine.

Tactus.

CI. Tactus est ea animę vis , qua calida , & frigida , solida , & dura , aspera , & lenia , aliasque id genus corporum affectiones percipit ; cum igitur ferè in omnibus partibus corporis prædicta sentiamus , necesse est , sensum tactus ferè in universas partes externas esse diffusum. Immediatum organum tactui inseruiens consistit in papillulis nerveis , è cute erumpentibus , tandemque in cuticulam desinentibus. Hinc sensus tactus exquisitior est , ubi illæ papillulę copiosiores , deliciaresque sunt , ut in planta pedis , & summis digitis ; nullus verò ubi cuticula fuerit callo deturpata. Sensatio tactus efficitur , cum externa corpora premunt , urgent , vellicant dictas nervorum papillulas. Plerique homines pollent adeò exquisito tactu , ut oculorum lumine destituti ; colorum varietatem discernant. Quomodo id contingere possit , dicam in arena.

Gustus.

CII. Gustu corporum sapes sentimus , ciborumque genera distinguimus. Illius organum sunt nerveæ papillulę , quæ sub externa linguę tunica latentes , ad linguę ferè superficiem appellunt. Unde quia papillulæ istæ in planitie , apice , & lateribus linguę copiosiores sunt , ideò ibi acutior , & exquisitior est gustus. Objectum gustus sapor est , qui in tenuissimis particulis consistit , quę linguę cuticulam pervadentes , nerveas papillas titillant , distrahunt , aut aliter afficiunt. Sapor proinde ex albo accidentium absolutorum expungendus est ; nihil enim aliud præter texturam , & partium configurationem involvit.

Sapor.

Olfactus.

CIII. Olfactu corpora odora sentimus. Illius organum in nerveis papillis residet , quę per membranam

internos narium anfractus tegentem diffunduntur. Odor, *Odor.*
 qui objectum olfactus est, non consistit in tenuissi-
 mis moleculis, quæ per inspirationem attractæ in na-
 rium membranam incurrant, nerveasque papillulas
 per illam disseminatas titillent, vellicent, aut alio mo-
 do afficiant: sed est qualitas absoluta, ab odoris cor-
 poribus emanans, & per medium ad olfactum usque
 propagata, fortasse halitibus attenuabilibus ut odoris
 vehiculum se habentibus.

CIV. Auditus est sensus, quo sonum, & voces *Auditus.*
 percipimus. Auditionis organum constitui nequit in tym-
 pani membrana, nec in fluida illa substantia, quæ intra
 labyrinthi, tympani, atque cochleæ latera concluditur,
 quamque innatum, immobilem, & animatum aerem
 olim plerique existimarunt. Relinquitur ergo, ut audi-
 tus organum statuatur in tenui illa membrana, seu in
 his nerveis filamentis, quæ per internum cochleæ an-
 fractum sparguntur. Objectum auditus sonus est, quem
 jam etiam inter plures Scholasticos convenit, non esse *Sonus.*
 qualitatem absolutam; sed medium per quod diffunditur,
 motum quemdam, qui ex collis corporibus sonoris
 ad nerveas fibras post varias auditus ambages tandem
 propagatur.

CV. Cùm sonus ex ore animalis vi respirationis
 certo, determinatoque pacto productæ prosilit, efficitur
 vox. Aer itaque ex pulmonibus vi aliqua expulsus, & *Vox.*
 per asperam arteriam ad palatum appellens, si inde re-
 flectatur, variis linguæ inflexionibus agitetur, dentibus
 illidatur, diversaque oris, labiorumque contractione,
 aut dilatatione varias modificationes induat, eum sonum
 edit, quem *Vocem* appellamus. Hinc intelligi poterit,
 quòd ubi præfata organa varientur, vel lædantur, vox
 quoque immutari, variarique debeat; ut si interior ar-
 teriæ superficies humoribus sit referta, rauca vox efficia-
 tur;

Echo.

tur ; si caput dimittatur , gravior ; si erigatur , acutior fiet ; si lingua commodè flecti nequeat , si dentes , aut labia desint , balbutiens , vel alio vitio affecta vox evadet. Sonus reflexioni obnoxius est , tuncque *Echo* dicitur , quæ nihil est aliud , quàm reflexa vox. Fit autem , cùm ex corpore lævi , & cum proportione complanato resilit aer ; quandoque adeó repetitis vicibus reflectitur aer , ut ter , quaterve *Echo* etiam sentiatur ; sic sæpissime post displosum tormentum experimur repetitis rumoribus montes remurmurare. Unde mirabile est , quod Bruxellis in palatio Proregis olim experiebatur , quòd vox scilicet sexdecim vicibus repeteretur.

Visus.

CVI. Sensus visus reliquos antecellit , si partium varietas , quibus oculi structura constat , vel si ordo ejus ususque inspectentur ; visu siquidem pulcherrimam colorum varietatem , objectorum artificiosam structuram intuemur. Tam variis , tamque dissimilibus partibus oculus constat , ut in qua illarum visionis organum statuendum sit , determinare Philosophis semper negotium facesserit. Plerique enim in chrysalino humore illud collocandum existimant ; alii in Choroide ; sunt etiam , qui in concursu nervorum opticorum illud statuendum opinentur. Verùm his omnibus rejectis , nos visus organum in reticulari membrana positum esse arbitramur. Geminatum non apparet objectum gemino simul oculo inspectum , etsi duplex illius imago in organo depingatur. Hujus Phœnomeni expositionem tradam. Color ut objectum visus habetur : illum asserimus consistere in ipsa luce , quæ secundùm diversitatem , qua ab objectis corporibus reflectitur , aut refrangitur , varios , diversosque colores exhibet.

Lux.

CVII. Ipsa doctrinæ affinitas exigere videtur , ut lucis naturam expendamus , quam aliqui esse dicunt perniciosissimum quarundam particularum motum ; alii

luminosi corporis effluvia ; alii tandem peripateticam qualitatem. Triplex hæc opinio gravissimis momentis innitur , & ferè ineluctabilibus difficultatibus premittitur. Tertia nihilominus nobis magis arridet. Lux reflexionis , & refractionis capax est. Si itaque lux in corpus opacum , & lævigatum impegerit , inde resilit perpendiculariter , si ad perpendicularum inciderit ; oblique verò , si oblique ad obsistens appulerit ; ita tamen , ut angulus reflexionis sensibilibus æqualis evadat angulo incidentiæ. Si in medium homogeneum penetrat , eadem , qua incesserit directione pergit. Idem eveniet , si radius luminis perpendiculari via ex uno in alterum medium , plus , minusve densum transierit ; tunc igitur refractioni obnoxius erit , cum medium inæqualis raritatis , vel densitatis oblique per- tingerit.

*Leges re-
flexionis,
& refra-
ctionis lu-
cis.*

CVIII. Præter dictos sensus externos , aliis inter- nis facultatibus donatur anima sensitiva ; sunt autem hæc sensus communis , Phantasia , seu Imaginativa , Æstimativa , & Memoria. Sensus communis sensuum externorum objecta sub communiore quadam ratione attingit , illaque probè perfectèque discernit. Phantasia ex diversis , singularibusque rerum speciebus , seu imaginibus imagines quasdam duplices , aut multiplices exprimit , easque variè , & quandoque lepidè , aut ineptè combinat. Et hinc cognoscit absentia ; imò plura , quæ numquam existunt , nec extiterunt , nec sunt extitura. Æstimativæ partes sunt objecta percipere præcissim ab eo , quòd præsentia , vel absentia sint ; sub ratione tamen insensata adeò , ut convenientia ab inconvenientibus , amica ab amicis , comoda ab incommodis discernat , ac secernat. Memoria tandem rerum præcognitarum species , cum de novo excitantur , excipit , rerumque præteritarum recordatur.

*Sensus co-
mmunis.*

Phantasia

*Æstimati-
va.*

*Memoria
sensitiva.*

Tri-

*Causa spon-
te nascentium.*

CIX. Tribus vitæ generibus , & quæ unicuique debentur , attributis expositis , superest , ut viventium ortum exponamus. Inter viventia autem quædam reperiuntur , quorum causa est nobis compertissima ; videmus enim spicam ex seminato frumento nasci , pullos ex ovis à gallina emissis , & calore fots procreari , equum tandem ex utriusque parentis coitu produci , ideòque ab eorum ortu exponendo supersedendum duxi : Alia verò sponte nascentia appellantur , quòd videantur à seipsis nasci , ut herbulæ in altis ædificiis , in aquis , vel in animalium corporibus enatæ , & animalcula , seu vermiculi , qui ex putrefactis corporibus exoriuntur. Horum effectrix causa non est ipsa terra , nec putrida corpora , in quibus delitescunt ; producuntur igitur ex seminibus , vel ovulis à similibus viventibus derelictis.

E T H I C A .

CX. **I**N id tandem Ethica collimat , ut scilicet certis regulis humanæ voluntatis actus ad finem debitum dirigat , hominemque ipsum sine cultu rudem , agrestem , squalidum brutescentem , horrentemque vitiis , non modò præceptis suis informando , politioem , mitiorem , ornatiorumque efficiat ; sed etiam virtutum uberrimo fructu cumulatum reddat. Hinc optimè Ethica jure describi valet : *Facultas dirigendis , perficiendisque moribus instituta*. Scientia est , eaque practica. Ejus materiale objectum sunt actus humani , prout boni , aut mali rationem induere possunt : Formale verò est ipsa directio , rectitudo , honestas , seu ordo , quem ratio facit in actibus voluntatis. Trifariam solet Ethica dissecari : in Monasticam videlicet , OËco-
no-

nomiam , & Politicam ; quarum singulas perstrin-
gemus.

*Moralis
Monastica*

CXI. *Moralis Monastica* privatas hominis actiones dirigit , quibus iste finem ultimum , veramque felicitatem valeat adipisci. Aliquis totius vitæ humanæ finis ultimus statuendus est , in quem hominum operationes , ceu in scopum dirigantur ; non enim mali à bonis differunt in eo , quòd mali nullum finem ultimum sibi præstituant ; sed in eo , quòd pro fine ultimo præstituant bonum proprium taxatum secundum libitum effrenis voluntatis ; proindeque in his rebus quærant , in quibus neutiquam invenitur. Boni verò summum , optimumque bonum ad rectæ rationis regulas exactum. Turpissimè errarunt , qui summam hominis felicitatem sitam existimarunt in divitiis , honoribus , potestate , gloria , fama. Verùm his omnibus turpius erravit Epicurus , si , ut à Lactantio traditur , in corporis , ac sensuum voluptate hominis beatitudinem collocavit. Et quamquam Stoici altius senserint , beatitudinem in virtute sola constisuentes , adhuc nihilominus à vera beatitudinis notione longissimè abfuere. Deus etenim Optimus Maximus est tota , summaque hominis objectiva felicitas , formalis verò , conjunctio animæ cum Deo , quæ intellectu , & voluntate perficitur.

*Homis fe-
licitas.*

CXII. Voluntarii dicuntur actus illi in quos voluntas ipsa propensione quadam fertur. Involuntarii verò , qui à nobis reluctantis extorquentur. Optimè proinde dicitur voluntarium , quod fit ab intrinseco principio cum cognitione finis : Involuntarium verò , quod vi , aut ignorantia conficitur. Ex quibus fit , violentiam , ignorantiam antecedentem omnino voluntarium perimere. Concupiscentia autem antecedens non tollit , sed potius auget voluntarium ; quamvis libertatem minuat , & quandoque omnino pellat. Volunta-

*Volunta-
rii , invo-
luntarii-
que notio.*

*Voluntatis
libertas.*

tis libertas talem indifferentiam involvit, ut possit actum exercere, vel ab illo deflectere: hinc indifferentia absente, funditus evertitur libertas. Indifferentia moralis, quæ in contraria extrema fertur; imperfecta censenda est; nam ad perfectam libertatem indifferentia contradictionis sufficit.

*Actus hu-
mani.*

CXIII. Homo quasdam operationes elicit aliorum corporum, vel belluarum instar, cæco nempe impetu, variaque spirituum agitatione correptus, atque hi actus hominis appellantur; humani verò hi sunt, qui ab homine rationis lumine præfulgente efficiuntur. Prima inter hominis actus, qui ab intellectu profluunt, sese offert apprehensio, qua cognoscitur bonum, à quo voluntas allicitur; quam sequitur simplex volitio, qua voluntas in bono sibi proposito complacet. Judicium est cognitio, qua bonum voluntati proponitur, ut expediens, & adeptu possibile. Judicium sequitur appetitus finis per media consequendi, qui dicitur intentio. His actibus circa finem versatis alii circa media succedunt; consilium nempe, seu consultatio, qua de mediis eligendis deliberatur. Inde sequitur consensus, quo voluntas mediorum utilitatem approbat. Quòd si media plura sint, nec omnia adhiberi possunt, tunc intellectus ea ad invicem conferendo, aptiora fini adipiscendo præfert, quæ postea voluntas discretiva quadam electione acceptat. Postea succedit imperium, & tandem usus, qui nihil est aliud, quàm applicatio potentiarum executivarum ad media assumenda.

Passiones.

CXIV. Motus illi, qui ex appetitu sensitivo pululant, passionum nomine veniunt. Dum passio rationem prævenit, voluntatemque ad se rapit, bonitatem minuit. Passiones aliæ sunt partis concupiscibilis, quæ tendunt in bonum, vel malum sensibile præcissè sumptum. Aliæ ad partem irascibilem pertinent, quæ
sci-

scilicet versantur circa bonum, & malum sub ratione ardui, ac proinde cum quadam pugna, & conatu attingendum. Sex passiones solent enumerari ad partem concupiscibilem pertinentes: Amor, Odium, Desiderium, & Fuga, Gaudium, & Dolor. Amor est forma, robustaque complacentia boni, quæ si sit cum electione, qua iudicio discretivo bonum aliquod ex multis deligitur, dicitur dilectio. Sex effectus amoris recenset D. Thomas; unionem videlicet, adhesionem, ecstasim, zelum, læsionem amantis, & universalem quemdam influxum in omnia quæ agit amans: his addi possunt liquefactio, fruitio, languor, & fervor, de quibus verba faciam. Odii natura sita est in aversione à malo imaginatione apprehenso, proinde bonum ut tale nequit odio haberi. Illius effectus sunt animorum divisio, invidia, tristitia, & indignatio; in his tamen odium non sistit, nam solet etiam exterius erumpere, in calumnias, irrisiones, rixas, & non rarò in neces. Remedia adversus odium apta sunt: nascenti odio fortiter resistere; motivi tenuitatem ponderare; odii feritatem perpendere; divinum in nos amorem, & lenitatem contemplari.

CXV. Desiderium, & fuga sunt quædam animi pennæ, quibus ad bonum absens advolat, & malum longissimè fugit; desiderio siquidem in bonum absens tendimus ipsiusque possessionem prosequimur. Ex desiderio pullulant unio, ecstasis, tædium, importunitas, & suspiria. Fuga est motus, seu passio, qua malum absens fugimus, & vitare conamur. Delectatio, & tristitia sunt aliarum passionum termini. Delectatio variis nominibus exprimitur; nam à dilatatione cordis, quam affert, dicitur *letitia*; ab exterioribus signis dicitur exultatio; à quibusdam specialibus lætitiæ signis, vel effectibus, præcipuè jocos, jucunditas appellatur. De-

Partisconcupiscibilis passiones.

Amor.

Amoris effectus.

Odium.

Odii antidota.

Desiderium.

Desiderii effectus.

Fuga.

Delectatio

Delectationis effectus

lectatio ad appetitum sensitivum restricta, est passio quiescens in bono sensibili possesso. Delectatione cor sese explicare, ac diffundere conatur, spiritusque dilatati sese uberius effundunt, quasi in occursum boni pergentes, tanta aliquando licentia, ut cor ipsum deserant, sicque deliquium, & mors sequatur: ob hanc causam multi ex nimio, inopinatoque gaudio leguntur expirasse, quod ex eo etiam fortasse oriri potuerit, quod nimis pulmones dilatati, nimiaque sanguinis affusione cor obrutum fuerit; sicque tam respiratrice, quam pulsatrice virtute afflictata, quasi duobus vitæ cardinibus cocussis, deliquium, imò interitus fuerit inductus. Delectatio etiam operationem perficit; est enim veluti condimentum, illam reddens suaviorem, cariorem, atque appetibiliorem.

Tristitia, ejusque species.

Tristitiæ causa.

Tristitiæ effectus.

Remedia tristitiæ.

Afectiones partis irascibilis.

Spes.

CXVI. Tristitia oritur ex apprehensione mali præsentis. In varias species secatur: præcipue sunt mæror, qui est tristitia diuturna; invidia, quæ est dolor de bono alterius; indignatio, quæ ideò concipitur, quia bona indignis largiuntur; anxietas, quæ animum sic aggravat, ut nulla appareat evadendi via. Efficitur tristitia ex malo præsentis, amissione boni, desperatione, optati boni dilatatione, & præteriti mali memoria. Animum tristitia frangit, dejicit, ac veluti prosternit, & ab operando deterret. Quando immoderata est, plurimum corpori, & vitæ nocumentum afferre potest. Immoderatæ tristitiæ quædam remedia adhiberi solent, de quibus egregie agit D. Thomas, quem in eis elucidandis sequemur.

CXVII. Ad partem irascibilem hæ passionibus spectant, quæ circa bonum, & malum, sub ratione tamen ardui, atque difficilis versantur. Quinque communiter numerantur: Spes, Desperatio, Audacia, Timor, & Ira. Spes est passio, qua appetitus pergit in

in Bonum futurum arduum , adeptuque possibile : Spes proinde desiderium supponit , additque quamdam firmitatem contra difficultates , quibus bonum obsidetur , & appetitus deprimitur. Causæ spei sunt experientia , à qua de possibilitate boni erudimur , deque modo tendendi in ipsum ; vires , quibus difficultates superantur ; calor cordis , quo spiritus roborantur , ne facile difficultatum imaginationi , qua retunduntur , succumbant ; inconsideratio demum , qua fit , ut difficultates contemnantur , aut non advertantur. Inter illius effectus recensentur , delectare , operationem perficere , atque in amorem illius inducere , à quo bonum speramus. Desperatione recedimus à bono arduo , adeptuque impossibili , quatenus bonum desideratum tot quandoque difficultatibus circumvallatur , ut animus illis succumbat , & ab ejus prosecutione desistat.

CXVIII. Audacia est passio , qua insurgimus in malum terribile , ad ipsum fugandum , superandumque. Spes , & quæcumque ipsam fovent , & augent , audaciam quoque ingenerant. Timor animum frangit ob difficultatem evadendi malum ; estque passio , qua periculi gravitate victi ingruenti malo terribili succumbimus. Inducitur ex defectu ex parte appetentis , qui vires expugnando malo aptas in se non experitur. Ira est inimicitia , quæ ulciscendi tempus spectat , & observat , seu appetitus rependendi injuriam , non qualitercumque illatam , sed ex certa scientia , & electione : unde contra eos , qui vel ignoranter , vel ex passione nobis nocuerunt , aut parum , aut nihil irascimur. Inter illius causas numerantur parvipensio , ludibrium , atque despectus. Ex ira oriri solet quædam delectatio , quod per iram fiat spes vindictæ ; quæ maximè jucunda est. Mentem iræ fervor obnubilat , rationemque turbat , quæ turbulentiâ spirituum maximè confunditur , obnubilatur , obcoecatur.

Sicut

*Spei causa.**Spei effectus.**Desperatio.**Audacia.**Audaciæ causa.
Timor.**Timoris causa.
Ira.**Causa iræ.
Effectus iræ.*

CXIX. Sicut voluntas suo genio relicta in bonum fertur, ita quoque in esse moris inspecta tendit in objectum regulis morum subjacens. Humanorum actuum moralitas libertatem supponit: ipsa tamen est illa directio, seu ordo, quem ratio facit in actibus voluntatis. Actus itaque in objectum tendens regulis honestatis consonum, bonus est; qui verò fertur in objectum legi, & rationi dissonum, malus censi debet. Immediata moralitatis regula est ratio voluntati dictans, quid bonum, quidve malum sit; primum nihilominus tenet lex æterna. De Conscientia, de Lege, variisque illarum divisionibus in conflictu eloquar.

Moralitatis regula.

Notio virtutis.

CXX. Quamvis virtutis nomen variis, maximèque in natura dissitis adaptetur, hìc nihilominus accipitur pro quadam animi perfectione, quæ bonis, sive perfectis actibus acquiritur, quaque animus ad actus illos iterum exercendos propendit. Si in verum suapte natura inclinatur, dicitur intellectualis; moralis verò appellatur, si voluntatem dirigat, perficiendisque moribus destinetur. Unde moralis virtus, quæ ad Ethicam spectat, accuratè valet definiri: *Bona qualitas mentis, qua quis rectè vivit, & nemo malè utitur.* Virtutis moralis finis est vita optimè instituta: actiones humanæ sunt materia, circa quam exercetur. Semina virtutum nobis à natura insunt; habitus verò, in quibus virtutes consistunt, iteratis actibus efficiuntur. Sub virtute morali comprehenduntur Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo, quæ *Cardinales* appellantur, eò quòd ipsis veluti cardinibus omnis bona, honestaque vita vertatur. Prudentia Tullio est: *Scientia rerum expetendarum.* Eandem Aristoteles pro recta ratione agibilium accipit. Subjectivæ prudentiæ partes, seu species, sunt prudentia Monastica, id est privata, qua quis se ipsum regit, & prudentia moderatrix, qua re-

Divisio virtutis moralis.

Prudentia

Prudentiæ partes.

gitur

gitur corpus politicum, ex plurimum conventu coalitum. Moderatrix in OEconomicam dividitur, & Politicam, de quarum natura postea tantisper agemus. Prudentiæ maximè inserviunt Eubulia, Synesis, & Gnome. Eubulia consilium rectificat, illi proinde opponitur *Panourgia*, latinè calliditas, vafrities, seu astutia, quæ depravatis consiliis ad finem curat pervenire. Synesi incumbit de consiliatis rectè judicare: Huic adversatur *Asynesia*, seu stoliditas. Synesis, ut suo munere fungatur, rectam exigit mentis dispositionem; appetitum minimè vitiis corruptum, animumque nullis pravis, falsisque judiciis præventum.

CXXI. Justitia rerum publicarum genitrix, custos, ac moderatrix turbidos animi motus intra fines quosdam sapienter cohibet, quibus hominum societas, ac Civitatum tranquillitas placidissimè perennant. A Philosophis, ac Jureconsultis appellatur: *Constans*, & *perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*. Justitiæ partes sunt justitia commutativa, distributiva, & legalis. Prima est partis ad partem; secunda totius ad partes; tertia partis ad totum. Octo comites à D. Thoma enumerantur, quæ justitiæ veluti socii adjunguntur, suntque hæc, religio, pietas, observantia, veracitas, gratitudo, justitia vindicativa, liberalitas, amicitia. Religionis munus est cultum, cæremoniamque Deo exhibere. Cultus autem exhibetur Deo devotione, oratione, adoratione, oblatione, voto, juramento, divinis tandem laudibus, quæ per sermonem Dei excellentiam dilucidant. Pietas tribuit sanguine conjunctis, patriæque benevolis debitum officium. Observantia reverentiam exhibet hominibus virtute pollentibus, sapientiâ, dignitate, aliisque dotibus commendabilibus præditis. Veracitas nos tales dictis, factisque demonstrat, quales re ipsa sumus, ad hominum proinde convictum erit utilissima.

Justitia.

Justitiæ partes.

lissima. Gratitude continet amicitiarum, officiorumque alterius memoriam, remunerandique voluntatem. Vindicativa nocumenta repellit, vim, & injuriam propulsat defendendo, seu ulciscendo. Liberalitas circa pecunias, aut alia, quæ erogari contingunt, modum tuetur, præscribit limites, efficitque, ut in illis insumendis mediocritas quædam habeatur. Amicitia est mutua benevolentia exterius erumpens, & virtutum honestati innixa; hinc prima lex (inquit Cicero) in amicitia sancitur; ut nec rogemus res turpes, nec faciamus rogati.

Temperantia.

CXXII. Temperantiæ officium est habenas moderari, quibus appetitus motus compescuntur; proinde ad partem concupiscibilem spectat. Delectationes corporeæ primario pertinent ad temperantiam, quam honestas, & verecundia integrant. Honestas præfert amorem quemdam spiritualis pulchritudinis. Verecundiæ nomine odium turpitudinis significatur, ac metus reprehensionis; cum nempe dedecus, dedecorisque notam veremur. Temperantiæ subjiciuntur Abstinencia, Sobrietas, Castitas, & Pudicitia. Abstinencia cupiditates cohibet, voluptatesque, quas in cibis experimur. Sobrietas compescit affectus, & usus cujuscumque potus turbantis, & inebriantis. Castitas coercet concupiscentiam, quæ ad actum propagandæ speciei destinatur. Illius species sunt Virginitas, & Castitas simpliciter dicta. Illa ita concupiscentiam frænata, ut ne in licitarum voluptatum experientia indulgeat appetitui. Hæc verò solum cohibet impetum circa delectationes illicitas; licitas verò regit, ut fine congruo, modo, & tempore exercentur. Pudicitia est virtus moderatrix quorundam actuum minus principalium ad concupiscentiam pertinentium.

Temperantiæ partes.
Abstinencia.
Sobrietas.
Castitas.

Virginitas

Pudicitia.

CXXIII. Temperantiæ tres virtutes adjunguntur, quæ languidiorem affectuum nostrorum impetum frænant,

nant, reprimuntque. Sunt autem *Continentia*, *Mansuetudo*, & *Modestia*. Prior voluntatem contra passionum insurgentium impetum ita obfirmat, ut quamvis intumescant, ab illis in pravam consensum non trahatur. *Mansuetudo* hoc nomine insignitur, prout interiorem iræ impetum gubernat; in quantum verò externam vindictam, seu poenam ob injuriam infligendam temperat, dicitur *clementia*. *Modestia* nos ita regit, ut in exterioribus actionibus, gestu, omnique apparatu modum teneamus ordini nostro, atque statui maximè consentaneum.

Continentia.

Mansuetudo.

Modestia.

CXXIV. *Fortitudo* appetitum irascibilem perficit, ac rationi commensurat. A Cicerone appellatur: considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. In metu, & audacia moderandis posita est. Duo fortitudini actus assignantur, aggredi, & sustinere: quorum ille admirabilior, honorabiliorque videtur; hic verò ut difficilior, ita quoque præstantior est. *Magnanimitas*, *magnificientia*, *patientia*, & *perseverantia* quasi partes fortitudinis habentur. *Magnanimitas* est quædam animi magnitudo, & extensio ad magna, & heroica in omni genere virtutum. Duodecim magnanimitatis characteres describit Aristoteles, quos & ego volenti apperiam. Etsi magnanimitas maximè opponi humilitati videatur, nihilominus arctissimo vinculo possunt copulari. *Magnificientia* à magnanimitate differt, quòd ista animum obfirmet, ut tendat constanter ad ardua, & sublimia; illa verò ipsum roborat in rerum magnarum executione. Cùm igitur res exteriores splendide, ac magnæ sine magnis sumptibus constare nequeant; *magnificientia* animum roborat, ne metu impensarum ab executione desistat.

Fortitudo.

Magnanimitas.

Magnificientia.

Patientia.

CXXV. *Patientia* munus est, sic obfirmare animum, ut in rebus molestis perpetiendis non succumbat, nec

K

ita

*Perseve-
rantia.*

ita frangatur, ut à bono declinet. At cum dilatio magni boni, animum cruciet, expectatio quoque bonorum futurorum ad patientiam attinet. Hinc potest patientia ex Aristotele definiri: Honestatis, aut utilitatis causa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, & diuturna perpessio. Perseverantia animum roborat, ac stabilis in arduis diuturnis, ne gravitate molestiarum fractus, aut diuturnitate ardui fatigatus succumbat. Crasissime abs dubio veterum nonnulli errarunt, suidium ut actum fortitudinis existimantes, cum revera furori, vel ignaviae vertendum sit, licet quamdam speciem fortitudinis præferat, nam

Hic, rogo, non furor est, ne moriari, mori?

*Moralis
œconomica*

CXXVI. Moralis œconomica domum, familiamque regit secundum præscriptas à ratione regulas. Ex ea proinde familiæ tranquillitas repetenda est. Familiæ nomine quædam societas intelligitur ad quotidianum usum à natura instituta. Sub ea triplex personarum genus continetur; conjuges nempe, liberi, & servi. Conjugium est viri, uxorisque legitima conjunctio ad honestam filiorum procreationem. Illius finis est speciei conservatio, filiorumque procreatio. Societas patrica parentibus, liberisque competit. Quibus quædam communia officia incumbit exhibere. Parentes itaque debent liberos diligenter alere, diligere, artibus prout conditio tulerit, instruere, pietate, & virtutibus imbuendos curare, atque ad id vitæ genus allicere, quod noverint aptissimum. Filii etiam tacita naturæ voce compelluntur, parentes amore, obsequio, veneratione prosequi, eosque si cum dura fortuna conflictantes viderint, verbis, opeque solari, ut fracta illorum ætas, ac senectus his officiis leniatur.

CXXVII. Sua quoque societas dominis, & servis est. Homo potest, vel coactione, vel arbitrio alterius

VO-

voluntati subjici. Justa, & licita ea servitus censi debet, qua ob egestatem quisque alieno mancipatur dominio. Hi etiam, qui hostium præda sunt facti, jure victoribus subdi, & inservire possunt. Dominorum, servorumque officia eó tendunt, ut servi dominos diligant, venerentur, observent; ipsis pareant, ac obsequantur, impositumque munus fideliter expleant. Vicissim domini debent servis pactum stipendium tribuere; illis numquam inhonesta opera præscribere; errata, leniter tamen, punire, eorumque tandem otium minime tolerare. Familia ad sui conservationem, & promotionem bonis quibusdam externis indiget; hæc autem bona procurantur à *Kthetica*, quæ in fortunæ bonis acquirendis, conservandis, administrandis, augendisque exercetur. Quamvis bona aliquando communia extiterint, nunc tamen ea communitas maxima induceret incommoda; ex illa quippe rebellionum, dissidiorumque turbines exitialissimi pullularent: tantum abest, ut Reipublicæ tranquillitati prosit. Patrem familias externa bonorum administratio præcipue tangit; Matrem verò domesticæ rei familiaris regimen, & cura.

CXXVIII. Ad moralem Politicam spectat civium felicitati, atque honestati consulere, id, quod recta Reipublicæ institutione curat obtinere. Magistratus, cui Reipublicæ administratio committitur, & quilibet alius Judex unicuique, quod suum est, reddere compelluntur, si testium depositione, aliove medio juridico ad illum spectare compererit. Respublica, regiminis ratione inspecta triplex habet publicæ potestatis genus: Democraticum videlicet, Aristocraticum, & Monarchicum, quorum notiones exhibebo. Inter plurima, quæ Reipublicæ felicitatem inducunt, nihil magis illius beatitati confert, quàm verus Dei cultus, legesque christianis dogmatibus consentaneæ; imò quid Rebus
pu-

*Moralis
Politica.*

publicis exitius ; quàm falsæ Religionis , Atheismi præcipuè tolerantia ?

Atque si strictissimum Judicem , ac Clementissimum Patrem præsentem animo revolvere maximè est vitæ instruendæ , formandisque moribus opportunum , Tu, ut flagitia expavescas , & virtutibus alliciaris

*Dum comedis , dum capis iter , dum cætera præstas,
Adstantem memori respice corde Deum.*

V. D. D. Raymundus Albornoz.

V. D. D. Thomas Fornér , C. R.

Vs Balaguer Cens. Reg.

